




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
27 D
7 11



Philosophus BONÆ MENTIS.





Qui *Jura* ſcripſit, Poſteris *Mentis Bonæ*
Sophum reliquit : Icone en vivit ſuâ;
Avo Nepotes Mente quam bonâ ſacrant.
Ioan. Fredericus et Guil. Theodosius
à Walhorn, dicti Deckher Avo.

M.V.Hellemont pinxit *E.V.Ordonie sculp.*

PHILOSOPHUS BONÆ MENTIS,

Nobilissimi & Amplissimi Domini,

D. JOANNIS A WALHORN',

DICTI

DECKHER,

IN SUPREMO CONCILIO BRABANTIÆ

SENATORIS REGIJ.







BRUXELLIS,
Apud MARTINUM DE BOSSUYT, dictæ Urbis Typographum, Viâ lapideâ, sub Signo S. Petri, M.DC. LXXIV.

Cum Privilegio Regis.

12.27.07

Præ-nobili ac Generoso Domino,

D. NORBERTO
VAN ASSCHE,
EQUITI AURATO,

Toparchæ de Gutsenhoven, & Overen-Neder-hespen,

BRABANTIÆ ORDINUM
THESAURARIO, &c.

Bonarum Literarum Fautori & Mæcenati Munificentissimo.



Rodiit è tenebris *Bonæ Mentis Philosophus*, NOBILIS AC GENEROSE DOMINE, Opus Posthumum Charissimi mei Parentis, Scriptis clarissimi, in Supremo Brabantiæ Se-

Senatu, Regi, dum viveret, à Consiliis. Prodiit; sed Mæcenatem quærit, sub cujus tutela securus delitescat, cujus Nominis splendore universo Orbi innotescat. E paucis, quibus hôc ævo Bonæ Mentis Studia cordi sunt, Te. Virum Bonæ Mentis elegi, cui *Philosophum* hunc *Bonæ Mentis*, bonâ mente do, dico, consecro. Tibi debebatur novissimus hic Parentis mei fœtus, & multis quidem titulis: cùm enim non parva tuæ Dignitatis & Nobilitatis (ut qui ex antiquissima Lovaniensium Prosapia, quæ Consilij Privati Præsidem, quæ Legatos habuit ad Galliarum & Angliæ Reges, ortum trahas) apud omnes sit æstimatio: non aliâ potiùs, quàm Nominis tui inscriptione, Parentis mei inclarescet labor, & exilis hic etiam in pretio Libellus erit. Nec solius

lius Nobilitatis & Dignitatis tuæ consideratio me impulit, ut hunc Tibi Libellum offerrem; sed & ipsa, & potissimùm quidem, beneficiorum tuorum in me collatorum suavissima recordatio, dum simul in Collegio Divæi Lovanij, Studiis Academicis operam dedimus. Non poteram, quin ad pedes tuos, in Gratitudinis monumentum, hunc Libellum devolvere, *Bonæ Mentis* hunc *Philosophum* Tibi consecrare. Accipe quod offertur, fronte serenâ, mente benignâ: meque interìm catalogo eorum insere, quos ad obsequium tuum omni horâ, omni momentô paratissimus habes:

Præ-nobilis ac Generosæ Dominationis Vestræ æterno gratitudinis Sacramento devinctus Cliens,

CONRADUS AQUILA A WALHORN',
dictus DECKHER, Filius.

IN PHILOSOPHVM
BONÆ MENTIS

Nobilis & Amplißimi Viri

JOANNIS A WALHORN',

Dicti DECKHER,

Patris sui defuncti,

Quondam Regij Consiliarij,

Heroïca duplici Chronico ornata.

3348.

DoCta IterVM VIVaX nVnC
fIt VoX: Mente DoCente,

MaXIMVs Vt DVX, eCCe so-
phVs DeCherIVs orbI est.

Guilielmus Theodosius à VValhorn', dictus Deckher, natu maior Filius.



PHILOSOPHI
BONÆ MENTIS,
Liber primus.

CAPUT PRIMUM.

A vera Dei Notitia bonam mentem esse.



LIcèt in exiguum ævi gignatur homo: maximis tamen rebus consummandis longum satis, si in tam veloci, & rapido temporis decursu cognoscat cui nascitur, & moritur, & quomodo utrumque in suum bonum. A Deo principium & in Deum finis. Utriusque extremi notitia non longâ annorum serie paratur. Nusquam abest magnum illud Numen: & cujus ætati congruum, & be-

nignum. Indè disce, quid debeas quod hîc sis: & fœliciter desinas in eum, à quo, ut esses, habuisti. Omnia debes illi, qui dedit omnia. Quo sis gratus tu te totum illi redde, & ille te tibi reddet meliorem, principio & fine in tuam beatitatem, & ejus gloriam coïturus. Hæc cogitatio te decet: non autem breviori vitæ ingemiscere. Vive hodie, qualem te posterâ die velis laudari. Dabit hoc boni certitudo. Absit animi fluctuatio. Nihil turpius homine boni dubio, & ad indaginem ejus pedem modo proferente, modo referente: Et cui non est, quò tendat, & arcum dirigat; sed,

Pers. satyr. 3. *Passim sequitur corvos testaq; , lutoq;*
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivit.

Ipsa levitas nihil certum secuta, novisque consiliis in alia atque alia jactata sibi tandem displicet, vitamque nulli rei bonæ impensam transisse, non ire dolet. Proponendus est finis, ad quem dicto, factoque nitamur, veluti peritus Navita ad aliquod sidus carinâ neptunium metitur regnum: quis finis? summum Bonum. Vita quæ extra illud vagatur, miserrima est: omnis autem vaga, quæ in Deum non recta. Ad eum ibis, si bonus sis. A te non es: fieri debes ab eo, sine quo nemo bonus:

ut

ut bonam mentem non malè vocaveris Deum in humano corpore hoſpitantem: hæc quærenda eſt primum. In ea vivendum, & moriendum: ſic tranquillo vixeris animo, & læto morieris. A vitâ trames ad mortem totus virtute demiratur, nè vitiis interruptus vel rerum inutilium moris hiulcus ad ſummum illud, aut nunquam, aut difficilius pertingat. Quam indignum! ſi te in improbis laboribus operoſè ſedulum, ex alienis judiciis ſemper ſuſpensâ ambitione defatigatum, avaritia ſordidum, ſuperbiâ inviſum, alienæ magis fortunæ invidum quam tuæ ſatagentem, inertiâ torpentem, otio marcidum, oſcitantemque, & continuis voluptatibus pallidum, breviter, ignarum veri, cupidum mali te ultima deprehendant fata? Nè te quoque occupet, & laſſet vanum argutiarum, & ſpeculationum tormentum, à quibus ſtultiſſimos fieri, nec ad ſapientiam nutriri homines exiſtimo: nec majorem fructum indè, quam ex Euclidis demonſtrationibus perceperis. Veræ ſapientiæ eſt cognoſcere, quid expediat: illud autem expedit potiſſimè, quod bonam facit mentem. Hujus quiſquis haves eſſe, Deum probè noſce, & eris: ni noveris non fies. Quid enim extrà Deum ſapis? nolim te

malè ſano fatigari ſcrutinio, quid nam ſit Deus,

Menander. *Impium eſt*
Eum diſcupere ſcire, qui ſciri nevolt.

Illum nemo vidit unquam. Si proprius explorator acceſſeris, circumfuſo luminis fulgore hebeſces ilicò. Placeant atria: mortali non patent adyta. Piè cavendum aliquid de eo ſentire, quod non ſit. Qualis ſit, bona eſt inveſtigatio. Et ejus perfecta cognitio æmulum Dei facit ad bona: ignorantia erronem in mala: nam

Primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris
Sil. Ital. *Naturam neſcire Dei:*

Virtutum noſcere. In Deo enim noto panditur omnis boni fons, cujus ſaluberrimis undis mens irrigata virtutem imbibit, & protinus fit bona.

Petite hinc juveneſque, ſeneſque
Perſ. ſaty. 5. *Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.*

At qualem, inquies, mente concipiam? circum te fluentibus documentis ſcies. Incorporeus eſt, cujus inacceſſam gloriam corporeus oculus innoxio non fert aſpectu: ut tamen aliquantùm patefieret, chlamidem circumdedit ſupernè coruſco cælorum auro illuſam: deîn variæ figuræ per liquidum aëra ludentis inter textu diſcretum, & pulverante telluris ſyrmate defluam,

luam, oraſque circum pulchrâ undoſam Amphitrite. Sub hac rerum univerſitate, velut ſol ſub piceâ nube, nè radiis noſter feriatur obtutus, magnus ille Deus ſe nobis fecit publicum. Quem, rogas? Præſidentem mundo, univerſa, ut ſua, temperando, humani generis tutorem, ſingulorum curioſum, omnia. habentem, omnia gratis tribuentem. Hujus notitiâ ſemen religionis, quod homini divinitùs eſt inſperſum, poſſet educi, in probum cultum vireſcere floridus; niſi vel malitiâ corruptum ſeſe irreligioſo in Deum impiet putore: vel inſcitiâ totum degenere factifiet in vana & improba germine.

Hac in re potens fuit omni ævo malitia, cum aut negat Deum eſſe: aut rerum humanarum neſcium includit ætheris cancellis, quo liberius indulgeat malo. Nec minus execranda eſt inſcitia, quæ magna temeritate laſciviens ſuperſtitionem parit, mentis ludibrium, & religionis pus ac venenum, divinum exhibendo cultum, cui non debet: vel cui debet non eo modo, quo debet: ſicque in Idolatriam abit, *principale*, ut ait Tertullianus, *crimen generis humani, ſummum ſeculi reatum, totam cauſam judicii.* Eſſe Deum, & colendum eſſe quid juvat ſcire, ſi ſcientiâ illâ per-

ignorantiæ noctem volatili tenebricus, abripiatis in celebri tui figmenta, & procumbas Idolo? frustrà quoque externâ sanctimoniâ divinæ consentis regulæ, & delicta graviora caves, si intus concupiscentiæ in illa, quæ caves ebulliat. In Diis adinveniendis & asciscendis, eorumque cultu humanus error impunius serpsit, & ideò latius quia licitum visum est, quidquid affectus comminiscebatur. Eamus ad gentes. Quos non Deos fabricata est antiquitas? quos non habitus? quibus alibi hominum, alibi ferarum, alibi ex diversitate corporum mixtis indutos stupet populus. Satyrâ mordetur Ægyptus, cui Deos porrum, & cepe dederunt horti, Nilus Crocodilon. Stabant in delubris Cercopithecus, Accipiter, Canis, & piscis. Canopus quam sibi in suo serapide placebat! creata pro Diis fuerunt, & quæ data erant ad usum, illis gens abusa est ad cultum. Et quod dementius erat, Deorum diversitas odium immortale, inter finitimos excitaverat.

Juvenal. Satyr. 15.

Ardet adhuc Combos, & Teutyra, summus utrimq;
Indè furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, cùm solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit.

Ri-

Ridebat quidem Seneca ignobilem iſtam Deorum turbam longâ ſuperſtitione :ongeſtam : adorari tamen ſinebat, quia d|magis ad morem, quam ad rem perti-ıeret, falſi quæſtione non admiſsâ, nè lon-ʒo ævo receptas religiones extinguat diſ-ɔutatio, ſatius arbitratus adorari, quod ·eprehendebat, quàm veritati cedere con-ſuetudinem : & verſari præcipitarique tra-lito per manus errore, alieniſque perire :xemplis, quam ſeparari à cætu, & ad ra-ionem vivere, pergendo pecorum ritu ղua plurimum itur, non quà ſit eundum. Ͻ Philoſophum judicio bonum actione ɔeſſimum!

Porrò in Deorum cultu quam religioſi ſtis humanæ ambitionis officiis! ſaluta-ionibus matutinis perſtrepere : foribus aſ-idere templorum : lintea & ſtrigeles Jovi ɛrre : & velut in tenebris ſedenti, fuligi-ıiſque Cupido lucernas pinguem nebu-am vomentes accendere : & tamquam :furienti mactare hoſtias, & quaſi ſitienti ·ina profundere. Junoni, & Minervæ ca-ɔillos diſponere : & quod mimi erat, lon-ʒè à templo & ſimulacro ornantium mo-lo digitos movere : ſpeculum tenere. Fe-tivius erat videre Syros,

Qui si quem piscem manducaverint
Illecti ingluvie, venter continuò, ac pedes
Illis tumescunt: tum saccum induti in viâ
Prosternunt sese provoluti in stercore,
Vt divam placent nimio contemptu sui.

Quisque pro lubitu Deos colebat; alius in publico fano: alius in ædibus. Ædes erant pro æde: & in singulis alicujus divi adoratio, qui promiscuis non divisus aris in unius domus supplicem pietatem caleret bene fumigatus. Et quod magis rideas, etiam in Philosophis tam stulta fuit religio. Quam belle adorabat Apulejus platonicus suum Mercuriolum! quoquo eunti inter libellos conditus comes erat hic Deus, festisque diebus thure, meroque, nonnumquam victimis placabatur: & si fieri potuisset, vicissitudine sacrificii supplicem honorasset, nè extra libellos fieret, alibique inhonoratum jaceret lignum. Magicæ verò artis apud Claudium Maximum postulatus exhibitione simulacri crimen diluit. Quam hic vir in Cyllenii sui pulchritudine laudandâ ridiculæ est laudationis! faciem decoram, & succi palæstrici plenam, hilaremque Dei vultum, & lanuginem decenter utrimque malis deserpentem, Crispatumque in capite capillum sub imo pilei umbraculo

ap-

apparentem, nec non pares pinnulas ſuper tempora lepidè emicantes, veſtem denique feſtivè circa humeros ſubſtrictam leges pro cauſa fuiſſe, nè cultus ſceleti, aut larvæ damnaretur infamiâ.

Humanius iſta fiebant. At fuit, ubi cruentius, & inhumanius perturbatæ mentis & ſede ſuâ pulſæ furor viriles partes amputabat, & ſecabat lacertos: & quod dictu infandum, aris flagrantibus imponebat natos: & quæ non alia? Deus ex alto deſpexit iſta ſacra: & nonnullis ſugeſſit,

Iuſta ite precari
Thure pio, cædumq; feros avertite, ritus. Sil. Ital. lib. 4.
Mite, & cognatum eſt homini Deus.

Sincera animi pietas in Deum, & homines vera eſt religio, & latria legitima. Mens expers Dei non capit iſta: & ab effectis ſuperſtitionis ad quæ non tremula?

Tunc nigri lemures, ovoq; pericula rupto, Perſ. Saty. 5.
Tunc grandes galli, & cum ſiſtro luſca ſacerdos
Incuſſere Deos inflantes corpora: ſi non
Prædictum ter mane caput guſtaveris alli.

Verum numen non eſt terrori: puroque ſui cultu mentem inſtruens abigit omnium noctium occurſacula, omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulchro-

rum

rum terriculamenta, & quidquid larvarum, & lemurum eſt, ac manuum.

Tollatur malitia, & Deum credes, & quem credis, cognoſces. Tollatur inſcitia, & Deum rite coles. Utramque ſolus tollit Deus: & electione boni, ac rejectione mali, mentem in ſe uno perficit: tunc perfectiſſimè, dum ei per mortem reddimur. Nam incluſa corpore turbatur, & errat opinionibus, in alio minus, in alio magis, prout largius, aut parcius innexus eſt æther. Hæc igitùr quæ bona eſt, Deum adit: & res, quarum cognitionem natura terreno negavit viſui, intellectus oculis haurit: & cæleſtibus in aurata divitiis, quo digno tam bonum numen appellet nomine, piè neſcit. Sentit enim quidquid eſt, in rem ſuam eſſe, quippè patrem omnis boni, malos ad bonum vocando, & ducendo. Vocat malos ut faciat bonos. Ducit bonos, ut faciat beatos. An non meritò dubitat filius, quo nomine tam bonum patrem nuncupet? bonæ mentis gratitudo eſt, profiteri inopiam dignæ gratiæ. Quid homo retribuet Deo? in hoc ambiguo bona mens ſibi ſatisfacit, dum humiles infra Dei dona grates fatetur: & ſupra donata divinum promiſſum citat in majora. Audax eſt bona mens, quia Deus fideli

deli ſponſione talem format, & provocat: Non peccat qui ſuo jure ſponſorem convenit. Deo gratiſſima res eſt ad promiſſi fidem urgeri, & urgentis actionem majori præſtatione erubeſcere: Noſce igitur Deum, ut ſis bonæ mentis, & invenies quo eum inſignies.

CAPUT II.

Deum ex ſuis operibus noſci: & in illis Optimum Maximum.

VIris bello ac pace auguſtis cognomen à virtute ſæpè tributum eſt: ut illo poſt mortem omni poſteritati narrato, iſte pariter æterno vivat præconio. Quis neſcit Manlios, Torquatos, Fabios maximos, & Cunctatores, Africanos, Pompejos magnos, alioſque factis ſuis in triumphale nomen adoptatos? quantos viros! putaſſes Deos cælo in terram demigraſſe, qui Romam toti terrarum orbi caput darent, palladio & Ancili in fatale pignus imperii apud veſtam adſervatis: aut Romulum ex morte cretum ſucceſſoribus paternam virtutem hæreditariam feciſſe.

Hinc

Hinc illos etiamnum magno ore loquitur fama, eorumque præclara gesta in exemplar æmulationis magnanime. Deus nomen suum nuncupavit Moysi; *Ego sum qui sum.* Apud se nominari non potest alius, quam qui est. Verum apud mortales cognomine multifario quo eum venerantur, innotuit, certum nullo satis dignè. Isthoc tamen, *Optimus Maximus* non incongruenter acclamat. Verè optimus maximus est, & ubique talis admirandus: ut in quo optimus est & in eo sit maximus. Age pervola citâ mentis pennâ terras, marisque tractus: te per aëra ac cælos Dei majestati siste; & mox æternitas, & veritas pellucebunt, & in æternitate author omnium, & in veritate immutabilis, & in utraque optimus, & in utraque maximus, & in utraque adorandus. Quid æterno majus? quid bono immutabili meliùs? qualem porrò concipies in suâ sapientiâ, & potentiâ? qualem in bonitate? in singulis maximum & optimum: & quidem nobis præcipuè. Deus in se totus inclytus nullâ necessitate in rebus creatis ad gloriæ suæ perfectionem effulsit. Quod alieno indiget adminiculo perfectum, non est. In Deo nihil imperfectum. Omnia in eo. Omnia ab eo, & per eum omnia, vel quæ cor-

:orporeis apprehenduntur oculis, vel eos ugiunt.

Magna & ſtupenda res eſt, primum illud, indigeſtumque chaos ex nihilo creatum, & mox in quatuor diſcretum partes: eaſque tam conſtante concordes fœlere perennare, ut quod ex ſingulis naura compoſuit, diſſoluto nexu, reponaur ſingulis. Quid ipſa naturæ fabricâ .dmirabilius? clamant cæli, *Enarramus loriam Dei.* Sol non ſolum temporum, ſed x totius cæli velut rector ampliſſimâ nagnitudine & poteſtate fertur, per duolena ſigna, celerique circumvolutus or›em rotâ vividum luminis munus cæteris tellarum globus fænerat: lucemque re›us miniſtrat, quo terrarum, ſuperumque ›arens olim vocari meruit. Luna in tene›rarum remedium data, modò curvata in :ornua, modo æquâ ſui parte diviſa, modò ıtroque cornu in plenum jubar coëunte nter minorum ignium choros ſpectatur, ıoctiſque ſuum iter decurrit: quid iſtoum germanorum, aliorumque ſiderum næquales curſus, ortus, & occaſus refeam in aëra, terram, ac mare potentes ›ſtro? malo ſidereas virtutes, rem ſanè 'aſtiſſimam, admirari, quàm cælo, nimiâ ˈandi copiâ, in operoſum tractatum de-

du-

ducere : à ſiderum meatu totum eſt , quod verè novo redeat floriferi anni fœcunditas: gravido palmite tumeat gemma : Ceres ſulcis obruta molli in ſummum prodeat ſolum herbâ : nec metuant ſurgentes auſtros , aut actos cælo magnis aquilonibus in noxam imbres: quod æſtas comitata caloribus hiulcet agros, meſſemque coquat, ſpiceiſque Ceronis redimita lætum ingrediatur horreum : ac remiſſis tandem fervoribus mollior tranſeat in Autumnum decorum mitibus pomis, & maturus fluidum uvis : quod hyëms anteacti temporis polita fructibus invitet ad genialem uſum, præparetque Veri fœcundos tepores , interim conſervans inter cana nivium, & pruinas frigorum armis ſuam viriditatem.

E cælo in aëra ſimilem inani delabere ; omnium volucrum genere tranatur , cantuque perſtrepit , nunc ſole ſerenus , nunc nube triſtis , nunc ſonorus tempeſtatibus, fulmineque crudelis : &. quod omnium maximum eſt , omnibus vitalis.

Contemplare terram , quam firmiter aëris in medio ſuis libratur ponderibus ! ut parturiens novos ſe fundit in partus , ac fœcunditatis uberans gratiâ , variiſque compta germinibus proprios oſtentat ornatus ! Hic ſegetibus læta pampineiſque

ornata

ornata vitium certis, velut ſpecioſis monilibus, uviſque aureo, purpureovè renitentibus colore ſuperba: Alibi odora floribus, & opaca nè moribus, & umbroſa montium ſuperciliis, & ſinuoſo fluviorum interlabentium diſcrimine irrigua toriſque herboſa riparum. Vos fontes ferè præterieram, hominumque, pecudumque, aviumque, gratiſſimum nectar. Et à quibus oculi aureſque mirificam hauriunt delectationem; cum vel ſummo montium culmine deſilientes, perque ſaxoſa præcipitia loquaces in petroſas magno aquarum ſtrepitu valles caditis vel plana tellus ecreta? Viſcerum vi vos in aërem evenit, lapſoque huc illuc dividit in rivulos, edetentim, invitis undis nomen in flumina commutaturos. Veſtra miracula dabit tienti Plinius. Quis arboream terræ pulchritudinem, & in pulchritudine fructum, & in fructu divitias enarrabit? quis tentes herbarum vires pandet? quis terræ viſcera rimatus ad aureas, argenteaſque venas, ſive ad ipſum Plutum non obupeſſet? quam belle innumera ſuper terram animalium errat ſpecies? alia de rupibus pendent audaci in eſcam gratiorem aſcenſu, & ſaltu. Alia paſcuam pratorum riditatem prono detondent ore. Aliis ſylvę

Lib. 2. cap. 103.

ſylvæ acceptam offerunt pabulum. Nullum eſt, quod non à tullure velut è benigno matris ſinu accipiat, ſibique ſit abundè, & quo utilius in uſus humanos, vivat, & occidat.

Sta littore, & in mare mitte oculos, non cernis ut aliquando ſurgentibus in aſtra undarum montibus inhoreſcat, violentiſque fluctibus vicina tundat littora? aliquando clementioribus auris criſpius tremulo adfluxi circumludat ſolum? vel blando tranquillitatis æquore ſtratum pacificis ſalutet amplexibus? dicit Deus mare poſtquam creaſſet bonum eſſe, quis negabit? certè bonum, quia diſſitarum gentium compendioſa comunitio, invectio commeatuum, & quæ non alia in hominum effundit ſubſidium, & delicium? quis varia piſcium genera recenſebit? quæ naturæ, formæ, & uſus in illis diverſitas? Terræ certat mare multitudine, varietate, & monſtris, atque hæc omnia cæleſtia, aëria, terrena, & marina admiranda enarrabunt gloriam Dei. ſic ſanè eſt; omnia creata enarrant gloriam Dei, quam Deus in illis patefecit: non autem ex illis effecit.

At quorſum in illis gloria conſpicua? ut tu homo ejus eſſes ſpectator. Os namque

ue tibi sublime dedit, vultu in altum recto. Et nè forsan inferiora ęthereo prætervoles contuitu, obstupoq; diutius inhæescas, cervicem capiti multis vertebratisque orbiculatim ossibus flexilem, ad circumspectum junxit, ut quaquaversum am pulchræ ductu imaginis ad notitiam uthoris feraris Optimi Maximi in omniũ reatione Optimi Maximi in sapientia dipositionis ordinatissimæ, nec minùs Optiii Maximi in potentia gubernandę, quam bonitate conservandæ: ac proindè eum mes uti Optimum, & colas uti Maximum, ddendo illi majestatem suam, & una onitatem, sine qua nulla majestas: & ias summum esse delicti non recognoscere, qui ignorari non potest.

Olim Cleanthes non malè quatuor ex usis in animis hominum informatas esse Dei notitias; primam oriri ex prætensione rum futurarum: alteram ex magnitudine ommodorum, in quæ cæli temperatio, rræque fœcunditas, & maria uberant issimè: tertiam ex fulminibus, tempeatibus, nimbis, grandinibus, vastitate, estilentiâ, aliisque complurimis in aniorum terrorem, & rerum hominumque citium evenientibus: postremum ex æabilitate motûs, conversione cæli, solis,

Lunæ, ſiderumque omnium diſtinctione, utilitate, pulchritudine, ordine, quorum ſolus aſpectus indicat ea non eſſe fortuita. Quî enim fortuita? Mendacem iſta atomorum non agnoſcunt concurſum. Num à ſe putas eſſe terram, aquam, aërem? partes mundi ſunt, ut aliis, non ſibi ſerviant, materiam mixtis corporibus conferendo. Quidquid in certum finem ordinatum eſt, habuit, à qua ordinabatur, cauſam. Nihilò divinius quicquam de ſe jactaverit materia prima. Variis Philoſophorum figmentis incerta eſt: & qui apud illos veritatem, is lucem quærit in tenebris. Sunt qui non diſtinguant eam ab elementis: aut ponant in aqua valentiſſimo elemento, quod fuerit primum, ex quo ſurrexerint omnia: & quod in deductione rerum ad quartas ſit reductum: & olim Catalyſmo totum orbem abolente, ad ſe redierit, cunctis fluctantibus: in cujus rei fidem teſtes reliquiſſet conchas, & buccinas, etiamnum in montibus peregrinantes. Sunt qui diſtinguant. Sed quid diſtincta, niſi elementorum materies, & illis multò imperfectior? informis ſcilicet, & formæ mendaciſſima, mutationibus obnoxia, & nihilò proxima: quantum abeſt, ut à ſe ſit? Aſpice cuncta, quæ ſub ſe luna circuit,

cuit, & inter ea propè divinam creaturam, hominem. Quot causarum eget coitione in ortum? quod adminiculis ad vitam? quod à se ipso est alieni nîl indigum. Rursus quod à se ipso est, non perit: At quanta fœlicitate ille nascitur, denasciturque semper, velocibusque brevis temporis alis rapitur in finem suum! fortassis humana species à se est & externa. Nequaquam. Species non alibi, quam in suis individuis perstat. Attende ad rationem. Species deleri potest: quod à se est, non potest: quia nunquam incepit. Cujus ponis initium, id aliquando non extitit. Quod autem à se est, à se habet, quod est, nec ullius causæ exoritur influxu: ideoque nec interitum timet. Prætereà quali in oculos tuos incurrunt corpora ex materiâ & formâ composita? hanc compositionem dispositio materiæ, & formæ productio, & utriusque coujunctio perficiunt. Ista tria non scaturiunt ex materia: disjungi namque possunt. Undè ergò vivo? Necessariò ab aliqua causa omnium effectrice, quæ est sine initio & à se ipsa. Adde; quidquid in universa mundi machina vides aptissimo motu versari, te altius ducit ad istius impulsus authorem. A quo iste motus? certè non à motis. Quî posset? nihil à se

 ipso

ipſo movetur. Alioquin una res uno momento foret, & non foret: dum ſe movendo & agendo moveretur. Ac partiretur tendens ad hoc, à quo ſuum habuit impulſum. Huc ubi ventum eſt, jam ſe profert Deus.

Concipe modò Deum, in ſua juſtitia prioribus hæc eſt conſerta. Dum ſontes punit, & innocentes vindicat, utrobique ſe monſtrat Optimum, & Maximum. Sontis pœna, quia exemplo aut terret malos, & maxima eſt. Innocentium vindicta, quando paterno affectu, fulminat in auxilium, optima eſt: quando proſternit nocentes, maxima eſt. Non hanc allatret inſipiens, optimum non eſſe, quia diù bonos vexari malis ſinat: nec maximam, quia malos florere. Ratio Deo ſua eſt, cur è veſtigio non vindicet bonos: nec puniat malos. Bonorum vindicatione cohæret, malorum punitio. Hæc aliàs in vitâ celer: aliàs tarda celeritate conſulitur interdùm bonis: interdùm malis tarditate. Si tarda noceat bonis, magno patientiæ bono penſatur noxa. Si tarda proſit malis, lætare, quod per tuum latus tranſiërit illis ſua ſalus. Sin hîc meliores non fiant mali, poſthumas luent pœnas: & quia poſthumas, ideò graviores. Verum nec vivis abeſt Crux.

Pe-

Pectora eorum reclude, aſpicies illis in- vigilare curas, & ſceleris exercere ſuppli- cium; animo tortore occultum flagellum quatiente in ictus, & laniatus. Non vivit ille cui mens non eſt quieta, ſed vivus exequias trahit. Eant, ludant, ſceleſti, quantùm volent, non tamen antecedentes claudam inſequentem effugient pœnam. Tendunt per præſentis vitæ proſpera ad atrociora tormenta, quaſi per amœna prata ad carcerem. Stat ſua cui dies ſupplicii. Vis culpam ſtatim recidi? Metu Deum non pietate colet, magna pars mortalium. Quæ Deus inulta relinquit, extremo ſer- vat judicio nonnulla percutit, nè rector ignoretur univerſi.

CAPUT III.

In Chriſto Veram conſpici Dei notitiam & certam inveniri vitam, ac ſalutem.

ALiudnè præterea ad veram Dei noti- tiam deſideratur? Aliud maximè. Magnum eſt Deum in virtutibus, quas recenſui, noviſſe. Reſtat id, quod maxi- mum eſt, extrà quod cognitio Dei ad bea- titudinem non valet quicquam. Subſiſtet



hic pium pectus, & quæret in quo tantum bonum sit summum? In Christo Filio Dei, & hominis. In eo vult Deus nosci, & coli tanto filio crede asseveranti; *Ego & Pater unum sumus. Pater in me est & ego in Patre. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Omnia quæ habet Pater mea sunt. Qui me nescit, & Patrem nescit. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Qui negat Filium, nec Patrem habet; sed negat Patrem, & filium, Qui Filium odit, & Patrem odit.* Viden, ut in uno Filio sit vera Dei cognitio? Judæi, Mahumetani, agnoscunt Deum: quia in Filio non noscunt, eum omninò nesciunt, negant, oderunt. Græci, Romani, Barbaris sapientiores, Deum Optimum Maximum profitebantur. Nihil extra Christum profuit ista professio. Nulla illis sapientia, ex fiducia compertæ veritatis: *Cui enim veritas comperta sine Deo? Cui Deus cognitus sine Christo? Cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto? Cui Spiritus Sanctus accomodatus sine fidei Sacramento?*

Omnia ista apud Ioan. Evang.

Tertull. de anima Cap. 1.

Hujus veritatis mens nescia, abit in præcipitia: non ibit, si quæ in Christo quærenda sunt ad salutem, sciat. Duo sunt, divinitas, & humanitas. Divinitas in suæ majestatis solio radiosa est potentiâ, justitiâ, vitâ, quas cum humanitate communica-

nicatas nos plenis labris bibimus credentes. Indè intelliges quid ſit Chriſtus: *Via, & Veritas, & Vita.* Tria ſunt iſta in Chriſto indivulſa. Et in Deo ſunt iſta tria. Filius ex Deo exivit; quæris veritatem? In Filio lucet. Quæris vitam? In Chriſto comperies. Ad utramque via eſt Chriſtus: & utriuſque largitor. *Sicut Pater vitam habet in ſeipſo: ita & Filio dedit vitam habere in ſeipſo.* Vita una eſt, & ab uno una. Cùm autem Deus Pater, & Deus Filius in vita ſint uni, & hæc unio exundante Sancti Spiritûs amore largi fluat in omnium vitam; an non maximè refert, noſcere, quæ ſit illa vita in Chriſto adeò ſalubris menti, & ſine qua hæc bona non eſt? *Ioan. 14. 6.* *Ioan. 5. 26.*

Ab initio, & antè humanæ naturæ indumentum, Chriſtus erat illa vita, quàm in omnia creata dimanantem non malè dices iviſſe per omnes

Terraſq; , tractuſq; maris, cælumq; profundum
Hinc pecudes, armenta viros genus omne ferarum
Quemq; ſibi tenues naſcentem accerſere vitas.

Manifeſtatus verò in carne; non minùs quàm antè creaturas vivifico influxu ſuſtinet & alit intus. At evidentiùs fontem vitæ ęternæ ex ſe in electos uberrimè ſalientem prodidit: *Si quis ſitit* (inquit) *veniat* *Ioan. 7. 38.*

ad me, & bibat. Qui credit in me flumina
Ioan.6.51. *de ventre ejus fluent aqua viva. Ego sum panis vita, qui de Cœlo descendi: & Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* Judæi in Capharnao duri sermonis verba hæc insimulantes, non capiebant vitam carni Christi in pastum nostrum communicatam: nam verba spiritus & vita erant. Caro ut in cadavere declamatur, & in macello venditur, non prodest. Spiritus est, qui vivificat. Caro & sanguis Spiritu & vita vegetati cibum non periturum, nec morsibus consumendum habent: sed fide in sumptum æternum.

En notus in Christo Deus. Vis securus
Ioan.3.15. & 16. esse & bonæ mentis? Hæc sapias. *Misit Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non*
Ioan.17.3. *judicatur. Qui autem non credit, jam judicatus est. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum*
Ioan. 11. 25. *Christum. Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* Credis hoc? stipulare cum Martha, & vives. Quanti est in Christum credere! Quanti est noscere, quæ missus à patre nobis attulit! Consule sacras tabulas, illæ trifario ejus patefactæ mu-

aunere, Prophetæ Regis, & Sacerdotis
otum Christum antè oculos ponent. Pro-
heta est, sapientiam omnibus numeris
erfectam docuit: & docenti credendum
sse, imperavit vox hæc Patris, quæ è
ælo detonuit: *Hic est Filius meus dilectus,*
ısum audite. Quid docuit? Quod ipse ex
'ropheta Isaïa coràm populo in Synagoga
rælegit. *Spiritus Domini Dei super me, cò* *Isaias. 16.*
uod unxerit Dominus me: ad annunciandum *Luc. 4. 18.*
ıansuetis misit me, ut mederer contritis corde,
ṛ prædicarem annum placabilem Domino, &
iem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes
ıgentes, &c. Placet S. Ambrosius Inter- *Ad Evang.*
res; *Vnguitur virtute cælesti, ut pauperta-* *Luca. 4.*
ım conditionis humanæ thesauro resurrectionis *lib. 4.*
'garet æterno, captivitatem mentis averteret,
ıcitatem illuminaret animarum, annum Do-
ıini perpetuum divisum temporibus prædica-
ıt, qui redire in orbem laboris nesciat, conti-
ıuationem fructus hominibus & quietis indul-
eat. Atq; ille ita ad omnia se curvavit obse-
uia, ut nè lectoris quidem aspernaretur offi-
ium.

Rex est, unctus oleo præ consortibus *Psal. 44. 8.*
ıis, quod nam hoc oleum? Dixit Isaïas,
gredietur virga de radice jesse, & flos de radice
ius ascendet: & requiescet super eum Spiritus
'omini, Spiritus sapientiæ, & intellectûs,

Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & timoris Domini: Spiritus (inquam) non certæ mensuræ, verum inexhaustæ scaturiginis, & plenitudinis. Undè & nos populus ejus salubriter irrigemur. Regnum ejus non in terreno majestatis solio igneas stellarum corruscationes mentiente, regioque diademate ac purpurâ aureoque sceptro superbum: non fascium, ferreove satellitum horrore metuendum: at spirituale, & æternum est: qua spirituale, *Iustitia Dei pax, & gaudium in Spiritu sancto est*: qua æternum, extrà mundi mortalitatem, quærendum, postquam hic sub cruce militaveris, & satanam, mundumque viceris, in illo te triumphus excipiet, non in capitolium, sed in plenam æternitatis hæreditatem ducturus. Regem habemus, regamur, ut æternum cum illo regnemus.

Paul. ad Roma. 14. 17.

Sacerdos est. Sic enim jure jurando Deus eum affatur; *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*, nec tantùm sacerdos, verùm etiam hostia factus in expiationem peccatorum, per proprium non hircorum, aut vitulorum, sanguinem: unaque sui oblatione consummavit sanctificatos, sacro sui sacrificii suffitu in nos diffuso, quo& nos simus odor suavissi-

Psal. 109. 4.

Ad Heb. 7. & 9. 10.

me

næ fragrantiæ. Hunc Prophetam, regem, acerdotem tuum facis fide: & tibi fit, quod de se tibi asseverat; & Prophetæ rædixerunt. Fides veritate impletur pronissi in præmium, quæ incredulitati negatur in pœnam. Nolo hic mora frangi. Quod credenti promittitur, & agenti perandum est, quid donatur: & in cujus ossessionem hæc Christi mittit oratio, *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ibi sum ego,* ***Ioan. 24. 17.*** *& illi sint mecum.* Quod fides credit, spes xspectet. Titubante spe, fides vacillat. Alterutra labente, neutra stat: quæ enim ides sine spe? Quæ spes sine fide? Utraque in Domino stat, & utraque extrà eum aduca. Utraque gratuita est. Vis esse ranquillus? In Domino gloriare. Da illi loriam, & ille tibi dabit tranquillitatem, uam verè senties, si gratuituam sentias.

Nunc comperisti, in quo conquiescas, uietem hanc senties, cùm te vera & sancta Christi cogitatio per omnia elementorum impedimenta, nec ullo, nec quiem ipsos Angelos moratorio dignata reectu in cælum rapiet. Ut illic eum Salatorem adores, totamque deponas menem. Et securissimè rationis erit ista cogiatio: non enim subitò Christus ex cælo ecidit novo, & inaudito doctrinæ gene-

re.

re. Jam indè ab exordio mundi promiſſus exſpectabatur. Et nè fabuloſæ antiquitatis nomine vileſcat, teſtes habet Dei Prophetas, & eorum teſtimonia fideliter tabularum monumentis conſecrata. Illi verius tribuo Cumeæ vaticinium;

Clara Dei ſoboles, magnum Iovis incrementum:
Quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo
Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolverit formidine terras.

CAPUT IV.

Veram Dei notitiam expleri dilectione, eamq; veram, & unicam eſſe virtutem.

TUta Via eſt fateor à fidei lumine, & ſpei conſtantia ad magnum illud mentis bonum: ſed eundem, quo Chriſtus vocat. *Ego ſum lux mundi* (inquit) *qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Et præclaris vitæ ſuæ documentis viam ſignavit: & ipſe ſalebroſam, ac ſpineam cruentis veſtigiis, calcatam reddidit ſequenti pla-
Matth. 11. nam, & roſeam. *Venite omnes ad me, qui*
28. *laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollitę jugum meum ſuper vos, & diſcite à me,*

ne, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve. En habes quod agas. Eundum est ad illum, discendum est mitem esse, ut & tu sis mitis: & humilem corde, ut & tu sis humilis corde. Subeundum jugum suave, & onus leve. Unde jugum illud suave? Et onus leve? Ab impossibilitatis luitione. Quod impossibile erat legi, *In quo infirmabatur per Carnem, Christus missus in similitudinem Carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in Carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis.* Ecquid prætereà sub hoc jugo, & onere agendum? *Vt diligitatis invicem sicut dilexi vos.* Faciendo alii quod quisque sibi vellet fieri: non faciendo quod nollet sibi fieri. Non præteritur hic Dei dilectio, quia illa fraternæ causa unica: & hæc illius certa probatio: & utraque invenitur in singulis. Qui Deum diligit, paret imperanti ut diligat proximum: & qui proximum diligit, in eo Deum diligit, consequendo dilectionem mandati. Cur novum hoc mandatum, quod & in antiqua lege sancitum? Rationem Christus aperit in istis. Sicut dilexi vos. Qualis ista dilectio? Certè non ad normam legis veteris, mandantis quidem diligi proximum: sed

Ad Roma. 8. 3.

Ioan. 13. 34.

ſed juxtà illam ſtabat alia in proximum
Exod. 21. 24. ſevera: non audiſtis? *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede; aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore?* Et alibi non minùs juberi odium in inimicos, quàm amorem in proximum? vetera iſta procul à
Matth. 5. 38. novo hoc mandato. Vult ille percuſſores, & inimicos diligi: & magno præivit exemplo, dum orat, & moritur, pro inimimicis, vindictamque animæ pro animâ, vulneris pro vulnere, livoris pro livore, in cruentâ crucis arâ innocentiſſimus, & clementiſſimus abolet. Mandato annexa
Luca. 6. 35. merces; *Et erit merces veſtra multa, & eritis filii altiſſimi.* Ex his porrò intellige ſatis non eſſe Deum noſcere in Chriſto, ſed notitiæ ſociandum amorem, ut quem noveris, ames: & quem amas in illum te totum collimes. In iſta conjunctione vera virtus, quæ aliud non eſt, quam Dei dilectio, in multos & amabiles, virtutum rivos proflua. Quarum diſtinctiones, definitiones, & munia leges apud alios. Virtus eſt diligere id, quod unicè diligendum. Deo nihil majus, nihil amabilius, quia ſummum bonum. Et cui potiùs inherebit affectio? Quæ creaturis, cupiditas eſt non dilectio, ideoque mala eſt:
quæ

quæ Cre[illegible], ſola bona: quæ ſola bona, ſol[illegible] virtus. Vult ille diligi totâ animâ, otâ mente, totis viribus: quò nam hoc præceptum? Nè ulla vitæ noſtræ pars aliis acet: Deo hæreat animis: Deum colat: ihil ab eo alienum agat totus in eum conerſus. Num piè contemnitur creatura? mpiè. Cur igitùr illi inhærere nefas? Inæres, ſi non una Deo: & quod in illa lacet, non convertas ad Deum. Convere, & legitimus eſt uſus.

Diſpice ſi virtus ulla ſine Dei ſit amore: ut aliqua non ſit amor Dei: amor diſernendis rebus invigilat, nè mali paulaim ſubrepentis illigata ſpiris vincatur pruentia. Amor in omnium quæ ſunt, & icuntur ordine, & modo integer, incoruptuſque cuſtodit temperantiam: quis ſine more ejus, quod amat, animi magnituine & robore fortis, invictuſque ſtabit? Quis ſine illo juſti nomen obtendet? Hic bſtat iis, quę bonę voluntati ſunt inimica: uum cuique tribuit: neminem lædit. Hoc ngulas non animante virtutes officii noen mereri poteſt, quod fit, non autem irtutis: & niſi ſolius ſit Dei, in vitio eſt.

Dei eſt, virtutum illas quadrigas a promovet orbitâ: quem alma parens s ſtipat: nec ſpes divinis freta ſponſionibus

nibus se comitem abnegat. Quâ igitùr ratione multa gentilium facta honoramus virtutis encómio? Facit hoc humanitas, quia hominum societate profuerunt exemplo & beneficio. Quin & Deus illos majoribus ornavit dotibus: cui in hoc politico rerum statu gratum est videre homines mutuis coherere beneficiis, fornicationis instar lapidibus invicem obstantibus sustentatæ, alioqui casuræ: à virtutibus desiderare nomen boni: à vitiis fugere nomen mali: sed coram Dei majestate alia accepti & expensi ratio: ubi sola æstimatur veritas: ejus umbra judicatur.

In Menone. Vera igitùr virtus à Deo est doceri, Plato divinâ quadam sorte comparari. Nec innasci sensit Socrates, aliorum hac de re vana disputatio, doce quantùm volueris nihil efficies, nisi Deus clausas animi reserat aures, & intus, quod nubilum, illustret radio: & quod impurum, gratiâ depuret. Igniculos ingenitos naturæ non inficior, sed qui sint naturalis rationis cæcutientis ad verum bonum: ad malum occulatissimæ. Deus omnia operatur tàm ut bonum cogites, & velis; quàm ut facias. Vo[illegible] tatis & actionis finis, si bonus sit, [illegible] est. Bonus est, si Deus sit. Indè mens, & alia bona multa benigno co

xta fato in beatitatem. Hæc ſeries Philoſophum conſummat. Tanti eſt Deum noviſſe, & amaſſe, ut fias Philoſophus bonæ Mentis.

Et iſtis conſonas, inquies, Ethnicorum, *Seneca Epictetus, & alii.* has ſententias; magnus animus ſe Deo tradit. Habet vetus præceptum *Deum ſequi*: adhære illi velut miniſter, & aſſecla: cum illo appete: cum illo deſidera: & ſimpliciter atque uno verbo, quod Deus vult velis. Hîc ex noſtris aliquis exclamat; ô in cælo nata, atque illinc profecta verba! *Lipſ. de manud. ad Stoi. Philo. lib. 2. cap. 16.* Nihil Hercule minùs. Rimare quo ſenſu ſint iſta dicta. Quid verbis faſcinaris? ſpecioſa hæc ſunt, & animi immensâ laudum cupidine corrupti: à ſuo enim Marte ſumens Criſtas præſumit hoc, *Deum ſequar*. Non aliter, ac miles in bella ducem ſecutus generoſi ſui obſequii gloriam non ducenti, ſed ſibi vendicat ſequenti, dum inter tubas & cornua armis horridus, & vividus clamat altius; duc me quo lubet: jube, quod lubet, en contemptor lucis, adſum. Nulla mora in me eſt. Non in tergum tuum colligar ignavus. Antè ora pugnabo, pulchramq; mortem quæram per vulnera. Parere laudanda mandanti, honor eſt. Vides, ut utrobique propriæ virtutis arrogantia Deo, ut Imperatori faſtuoſo mili-

tat assensu. Natura universi fuit illis pro Deo, cujus in parte se putabant esse: ideoque aliquid suum, & ex se profectum, non in cœlo natum tradere Deo videbantur. Quam enim impiæ sunt arrogantiæ ista Cottæ apud Ciceronem! Neminem virtutem unquam acceptam Deo retulisse: nec quemquam, quod bonus vir esset, gratias Diis egisse propter virtutem nos jure laudari, & in ea rectè gloriari: quod non contingeret, si id donum à Deo, non à nobis haberemus. *Iovem Opt. Max.* ob eas res appellari, non quod nos justos, temperatos, sapientes efficiat: sed quod salvos, incolumes, opulentos, copiosos: neque Herculi quemquam decumam vovisse, si sapiens factus esset.

Quam etiam sonorus Catonis buccinator Seneca! nullum in terris fuisse spectaculum pulchriùs, & digniùs, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Certius in illo sapientis exemplar, quàm in Vlysse, & Hercule, licèt monstra ferro & igne non sit persecutus: sed in ea tempora incidisse, quæ excussa jam fabulosâ antiquitate ad summam prævenerunt sapientiam. Cum ambitu, multiformi malo, & cum potentiæ cupiditate, quam totus orbis in tres divisus non satiabat, congressum stetisse

tiſſe ſolum adversùs vitia civitatis degenerantis, & peſſum ſuâ mole ſidentis. Inter ruinas publicas erectum, omnibus in unius conditionem conceſſis, & cuſtodientibus terras ac maria legionibus, & Cæſarino milite portas obſidente, habuiſſe, qua exiret, unâ manu latam libertatem illi faciente, tàm turpe illi mortem ab ullo petere, quàm vitam. Deos immortales dextram gladio in viſcera converſam cum admiratione ſpectaſſe: & ſanctiſſimam animam claro, ac miſerabili exitu evadentem. Inſanis Seneca cum tuo Catone. In eo magnum animum affirmas, qui ſe Deo tradidit: ſapientem quidquid evenerit, ſcire legem eſſe naturæ: velle quod Deus vult: quam belle paruit Deo Cato! volebat Deus urbem Romam à principio Regibus ſubeſſe, libertatem & conſulatum à L. Bruto inſtitui: non Cinnæ, non Syllæ, longam Dominationem: & Pompei, Craſſique potentiam citò in Cæſarem cedere. Vicit Cæſar. Quid fatum, tibi crudelis incuſas? Cur Deum non ſequeris? Quamdiu cauſa dubia, & aliquid in vita eſt, fuit quod probari poſſet, non malè Rempublicam tuebaris: ſed meliorem certè eam ..icare debueras, quam Deus adjuvit. .t fractam armis diſſentionem, & ex-

tinctum æquitate victoris, fas erat, omnes unum velle :verum in viscera tua maluisti sævire quam Cęsarem experiri clementem.

At plerique scitis suis mores adæquabant? Vanè coràm Deo eorum opera, vel optima erant pessima : quia nondum in filiorum fœdus adoptatis, quod ad Deum, oportebat referri, erat pro suo : ut non injuria eos habeas injurios Deo : & illis nil suas profuisse virtutes, sed nocuisse. Odit Deus ingratos. Qui bonum negat acceptum ingratus est : negat, qui largitoris oblitus, se jactat authorem, & falsâ meriti opinione cælum in mercedem pulsat.

Nobis tota domo omnipotentis Olympi patefactâ, veritas affulsit, sacrisque paginis inscripta præit omnium verissimè ad Deum. Dixerint alii, quis illum cælo deducet? Quis ab inferis sistet? Apage ista. In corde nostro verbum fidei est, quo duce nil invium : & aquilino pernicior volatu capit ipsum Deum, ut jam ipse sit nobiscum, qui in nos inhabitet. Ejus virtute, non mea sto immobilis, & tranquillus : & meliore mente, quam Epictetus affabor ; utere me in reliquum ubi lubet, & ut lubet. Mente tecum consentio, æquanimus sum. Nihil recu omnium, quæ tibi videbuntur. Quocur

Ad Roma. cap. 10. 7.

que me voles ducito. Quam veſtem lubet circumdato. Magiſtratum me gerere vis? Privatum eſſe? Manere, fugere, in paupertie, in opibus agere? Ego in his omnibus apud alios te defendam, & tuebor. Tibi permitto expendendum, quid mihi conveniat, meiſque rebus ſit utile. In tui gloriam peto bonam mentem in ſano corpore, fortemque animum, & mortis contemptorem, iræ neſcium, nullius cupidum, & ſævos labores, erumnaſque boni viri potiores credentem comis & plumis Sardanapali. Monſtra ſemitam tranquillæ vitæ, & hanc virtute tuâ intrepidus inibo, ex cælo aures voce illâ paternâ circumſonante, *ſufficit tibi gratia mea.*

CAPUT V.

Conſiderandam eſſe in Chriſto omnium Virtutum Dei Maximam Miſericordiam: nec eam ſatis cognoſci, niſi perſpecto hominis ſtatu, qui eſt antè, & poſt gratiam.

QUiſquis mundi ſpectator es & Deum ineſſe credis, & in ſuis operibus Opt. Maximum; contemplare quoque virtutum

omnium maximam Dei, quæ exuperat omnia opera, quoque ſe ipſo, quodammodò major eſt, cùm tamen ubique ſit omnium Optimus & Maximus, Quæ illa virtus tantæ majeſtatis? miſericordia, dat enim indignis fidem, & immeritis vitam.

Ad Pſalm. 144. *Vide* (ait S. Auguſti.) *quid dederit, qui gratis dedit. Data eſt venia peccatori. Datus eſt ſpiritus, & ſpes juſtificationis. Data eſt charitas in qua omnia, bona facias. Super hæc dabit & vitam æternam, & ſocietatem Angelorum. Totum de miſericordia. Merita nuſquam jactes: & ipſa tua merita, Dei ſunt dona.* *Qualis homo antè gratiam.* Quanta verò ſit iſta Dei in Chriſto ergà genus humanum miſericordia, & gratia, non ſcies, niſi, qualis ſit homo antè eam, appareat. At qualis? Mortuus. Mortuus naſcitur, mortuus vivit, quiſquis à Deo alienus eſt. Mors erat quidquid ſentiebat, & volebat. Si mortuus, an non quantùm ad Dei regnum cadaver? Si cadaver, an non

Monſtrum horrendum, informe, ingens
Cui lumen ademptum?

Deſiërat poſſe bonum. Deſiderat velle bonum. Deſiderat agere bonum. Totus erat tenebre, concupiſcentia totam voluntatem peſtiferâ creaturæ inebriante dulcedine: & ignorantia veri ac recti totam men-

tem

tem depravante. Poterat hic tenebrio, ſed malum: volebat ſed malum. Agebat ſed malum. Qui poſſet aliter? Ex lapſu quanta labentem excepit peſtis? Primò avida peccandi ſitis, *Quæ bibit quaſi aquam iniquitatem, & facit hominem abominabilem*; ſcilicet *cogitatione intentum ad malum omni tempore*: dein lubentia, & gaudium in peccatis: *Lætatur enim cùm malefecerit: & exultat in rebus peſſimis.* Iſta duo hominem mancipant peccato, & in peccato morti. Servum enim peccati, & in eo mortuum docet S. Paulus; quò tandem vergit iſta malorum congeries? Recta in ſpontaneum diaboli mancipium: in quo ſervientis, & dominantis una voluntas: & utriuſque in malo pax eſt. Iſta Salvator pronunciabat. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt, ea quæ poſſidet.* Numquid purum aut rectum ſub ejus tyrannide? Negat Apoſtolus. Naturæ non ſum injurius, dum eam adeò ab ea, quæ fuerat, mutatam demonſtro. Multis ſæculis antè me cenſuerunt idem, quorum ſententia non minùs ſanctitate, quàm veritate mihi eſt ſacroſancta. Summam fecit. D. Proſper *Omnes homines in primo homine ſine vitio conditi ſimus: & omnes naturæ noſtræ incolumitatem, ejuſdem hominis prævaricatione perdidi-*

Iob. 15. 16.
Geneſ. 6. 5.
Prover. 2. 14.
Ad Roma. 6. 17. & ad Epheſ. 2. 2.
Luc. 11. 21.
Ad Epheſ. 2. 2. 3.
De Vocat. Gent. lib. 1. cap. 7.

didimus. Indè tracta mortalitas: indè multiplex corporis, animaq; corruptio. Indè ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, Timor vanus, amor noxius, injusta gaudia, pœnitenda consilia, & non minor miseriarum multitudo, quam criminum. His ergò, atque aliis malis in naturam humanam irruentibus, fide perditâ, spe relictâ, intelligentiâ obcæcatâ, voluntate captivâ, nemo in se, undè repararetur invenit: quia & si fuit, qui naturali intellectu conatus sit vitiis reluctari, hujus tantùm temporis steriliter ornavit, ad veras autem virtutes, æternamq; beatitudinem, non profecit. Sine cultu enim veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est: nec placere ullus Deo, sine Deo potest. Qui vero Deo non placet, cui, nisi sibi & diabolo placet?

Ad Ephes. 18. Nè multa: genuinè Apostolus naturam, qualis est antè gratiam suis depinxit coloribus; *Ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum.* Nihil boni reliquum facit, quo turgiat homo, mentem jactas Philosophe, & in ea rationem, nempè reginam voluntatis, & vitiosi appetitus frænum,

Claudia. *Mandatricem operum, prospecturamq; colori.*

Vani-

Vanitatis, & tenebrosæ damnatur obscuritatis. Nihil lucis à tenebris. Quid valet igitur mens, & ratio in hoc admirando mundi spectaculo? Quod in pleno sole cæcitans. Cor cœcum est,& per ignorantiam dominatur, hominem alienando à vita Dei. Quæ illa vita? Regeneratio: nam Dei Spiritu nos gubernante renascimur: vivit in nobis Deus: & nos fruimur Deo, cujus cognitio, vera animæ vita: & ignorantia mors. Non animadvertis quid simus nobis relicti, & quamdiu non renovamur Spiritu mentis nostræ, nec induimus novum hominem, quem Deus creavit, in justitia, & sanctitate veritatis? Sumus pravæ & insatiabilis cupiditatis belluino impetu in omne genus flagitia proruentis; nonnunquam projectiùs, nonnunquam moderatiùs: Deo providente nè effrænata intemperies, scelerumque impunitas politicum mundi ordinem perturbent, & pessundent: interim tamen pari animi in vitia præcipitis desiderio circum legum repagula intus frementе.

Cùm staret primus homo integer stabat illi sanè voluntatis gratia, cujus usus, & non usus suberat potestati accipientis,

Postquam cecidit, simul excidit illâ gratiâ dantis. Poterat non excidere si voluisset, & fuisset semper bonus, sed eam deserendo, desertus & lapsus est, Remansit liberum voluntatis arbitrium, sed vitiatum. B. Fulgentius, *Ex quo primus homo naturam suam voluntariè vitiavit, atq; oppressit infirmitas, est quidem liberum, non tamen bonum. Est liberum, non tamen rectum. Est liberum, non tamen sanum. Est liberum, non tamen justum. Et quantò magis à bonitate, rectitudine, sanitate, justitiaq; liberum, tantò magis malitiæ, perversitatis, infirmitatis, atq; iniquitatis mortifera servitute captivum: qui enim facit peccatum, servus est peccati: & à quo quis devictus est, huic & servus addictus est. Regnante igitùr peccato, habet liberum arbitrium, sed liberum sine Deo, non liberum suo Deo: id est liberum justitiâ, non liberum sub gratiâ & ob hoc pessimè, atq; serviliter liberum: quia non gratituito miserentis Dei munere liberum. Hoc Apostolus evidenter insinuat, dicens: cùm servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ, servire igitùr justitiæ non potest, qui justitia liber est: quia quamdiu est peccati servus, non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneus.*

De incar. & gratia. Dom. Ies. Chr. cap. 19.

Ve-

Verum Deus misericors voluntatem aliâ restauravit gratiâ, quæ invictissimè facit volentes, & perseverantes, non tamen radicitus extirpatâ vitiosâ resistendi possibilitate, sed suaviter & efficaciter, firmatâ obsequendi voluntate. Hæc illa multò minor & potentior. Per hanc in nobis est, in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus quod & in Adamo fuit: sed & velle, quod possumus, quod in nobis est, & non fuit in illo. Primo itaque homini (aut Antistes gratiæ) datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. *Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur: sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non posint: verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Non solùm enim dixit sine me nihil potestis facere. Verùm etiam dixit, non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, quibus verbis eis non solùm justitiam, verùm etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit: Christo enim sic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus*

Qualis homo post gratiam.

De Correp. & gratia cap. 12.

fructus eorum maneat: quis audeat dicere, forsan non manebit? sine pœnitentiâ sunt enim dona, & vocatio Dei, sed vocatio eorum, qui secundùm propositum vocati sunt. Pro his ergò interpellante Christo, nè deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet, usq; in finem, ac per hoc perseverabit usq; in finem, nec eam nisi manentem vitio hujus invenit finem.

Utriusque gratiæ diligens distinctio; multa contentionum jugelat monstra, in quæ non abominanda, eâ neglectâ fervor abripuit animos? Videt orbis, & ingemiscit, distinctionis semita itur ad veritatem. Primam appositis alimentis adsimulo, alteram sumptis appositis homo non vivit, si abstineat, & mori velit, sumptis autem vivit. Sine prima non fiebat ut homo vellet justitiam: sed faciebat ut haberet, si vellet. Altera fit ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem adversùs spiritum concupiscentem vincat voluntate Spiritûs.

Admiranda hujus gratiæ est operatio. Extrinsecus humanos sensus, prædicatione Christi circumsonat: promissione præmii mulcet: pœnæ minatione ferit. Intrinsecus agit potentiùs mentem ipsam sapientiæ revelatione seu cognitione veri illustrando. Exin voluntatem induit habitu boni,

& actione fœcundat, non interrumpente immutabilem hunc gratiæ progressum lapsu hominis identidem in peccatum, quod abolitum est, ubi viget Christi regnum. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* *Ioan. Epist. I. cap. 3. 9.*

Validissimum hoc semen, quod etiam sub multis, gravibusque peccatis manet incorruptibile. Et dum creditur suffocatum, mox melioris auræ fœcunditate vividum perrumpit atrum solum in gratum Deo fruticem. Liceat modò dicere, Deo volenti salvum facere nullam hominis resistere libertatem. O magnam salutis nostræ gratiam! verè magna est. Et miror quemquam vulnera Christi, cruenta spinarum vestigia circum caput euntia, cæteros dolores, livores, & tremendum illud torcular, quod calcavit ab æterno uni, nescio quali gratiæ cunctis mortalibus parandæ, arbitrari decreta, quæ viam eminus ostendat, quam nostræ facultatis sit ingredi, vel non ingredi, & ad metam propriis permetiri viribus. Non, non totum hoc spatium potentioris est gratiæ: & hac sola decurrendum: beatus enim isthic decursus est Dei miserentis, non autem hominis volentis, & currentis. Vult hic,

sed

ſed per gratiam. Currit, ſed per gratiam. Ut benè velit gratiæ pervenientis illuminatur dono : ut benè currat gratiæ ſubſequentis fulcitur auxilio. *Deus meus* (ait David) *Miſericordia ejus inveniet me :* & alio loco, *Miſericordia tua ſubſequitur me, omnibus diebus vitæ meæ.* Quid inani voluntatis inflaris potentiâ ? Si bona eſt, tua non eſt. Quæ tua eſt mala eſt. Tua, ut bona ſit, ſalvatur. Mortua reviviſcit. Captiva redimitur. Vertitur lapidea in carneam. Animalis in ſpiritualem. Lupus per devia celer, ferox, cruentus, in agnum manſuetum, & boni paſtoris obſervantiſſimum. Breviter fit bona, non naſcitur. Naſcitur filia iræ, fit filia gratiæ. Quid hîc tuum ? Repeto, vis, & curris, ſed Deo miſerente.

Pſalm. 58. *Pſalm. 22.*

Nihil ergò libertatis in magna hac gratia ? *Gratiam Dei ita credimus benignam, & experimur potentem, ut nullo modo arbitremur violentam :* Nam *verè liber eſt, quem filius hominis liberavit.* In hac libertate ſolius boni fervet voluntas, Deo greſſus hominis dirigente, ut viam ejus velit, & ineat præbendo vires efficaciſſimas voluntati : dixit enim, *Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicio meo obſervetis, & faciatis.* Cùm dicit, *Faciam ut faciatis,* non aliud

Proſp. de Voca. gent. lib. 2. cap. 26. *Ioan. 8. 36.* *Ezechi. 36.*

aliud dicit, quàm, mei erit operis omne bonum, quod operati fueritis, me auferente à vobis voluntatem, quâ non faciebatis, & dante voluntatem quâ faciatis, agnoſcite aurea verba S. Auguſtini: *Quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Propter quod ait Apoſtolus: *Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis bonum opus perficiet uſq; in diem Chriſti Ieſu. Vt ergò velimus ſine nobis operatur, cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo, ut velimus dictum eſt, Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo, cùm jam volumus, & volendo facimus, ſcimus inquit quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum.* Alibi; *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & operari pro voluntate. Nos ergò volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergò operamur, ſed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere. Hoc eſt pium & verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.*

S. Aug. de grat. & lib. arbi. cap. 17.

De bono perſeve. lib. 2. cap. 13.

Bona mens in his tranquillè ſubſidit, & ut benè agat Spiritu Dei agi ſe credit, ſed juxta

juxta modum naturæ suæ hoc est, ut agenti se Spiritui liberè obsequatur. Agi & non agere lapidum est & brutorum; noster autem est Deus adjutor, quia nos cooperante Deo aliquid operamur, sed non benè, nisi illo faciente ut operemur, qui per Prophetam dicit: *Faciam ut, in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.* Ille ad obediendum sibi, & ipsum velle donat, tamen & à benè operantibus potestatem qua possunt nolle non aufert. Nulla hìc ergò necessitas ubi plena est dissentiendi potestas. Propter hoc licet Deo faciente omne bonum faciunt, tamen quia in ipsis est, undè non facerent, ipsorum sit meritum quod faciunt. Intellectu hoc penetrare (notat id & Augustinus) pauci valent: at bona mens altiora se non quærit, edocta *sapere ad sobrietatem*, In hujus vitæ tenebris ad lucernam fidei securè ambulat, non proprio confidens arbitrio, sed *innixa super dilectum suum.*

Ezech. 36.

L. 2. cont. Pet. c. 85.

Ep. Rom. c. 12. v. 3.

Can. 8. 5.

Suaviter autem, quamvis fortiter Dei Spiritus mentem agit: trahit quippè eam *in vinculis charitatis.* Ipsa est enim (ut dicam cum Augustino) gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Nihil ergò hìc violentum, nîl necessarium, ubi qui mandat & quod mandat, liberè diligitur. Nil non suave, ubi bonum quod fit, amore peragitur. Vide in Cãtico Salomonis, quid possit Amor. Quanto effectu sponsa, in sponsum rapiunt. *Osculetur me osculis oris sui, quia meliores sunt amores tui vino, fra-*

Osea c. 11.

4. de nat. & gra. c. 70.

Ex Versio. Isidori clarii Episc. Fulginat.

grantes unguentis optimis. Trahe me post te, curremus. Dilectus meus mihi, & ego illi, veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulces gutturi meo. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus lectus noster floridus. Insignivit in me charitatem. Fulcite me phialis, stipate me malis, quia amore langueo. Leva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Inter ubera mea commorabitur. Audiamus Sponsum; *Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Surge propera Amica mea, Columba mea, Formosa mea, & veni. Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa: Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum; & in uno ligamine colli tui. Messui myrrham cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum in lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Spectemus hanc amoris reciprocationem. Sponsa volat in oscula sponsi. In quæ oscula? In suavissima verba, & mitissima mandata Christi. Petit ab eo trahi, num invita? Quod petit vult, & optat. An ut sola currat? Nequaquam, sed dicit, *curremus*, Num æquis passibus? Minimè. Vult trahi à sponso ut post illum currat. Currit uterque, sed sponsus lux viæ & vitæ præcurrit. At enim petit trahi: ergò in petente

est aliquid prius trahente, quod non est à trahente, sed à petente, & quod petentis subest arbitrio. Mala ratiocinatio; considera personam petentis, sponsa est. Non à se talis est: à sponso talis est. Non foret sponsa, nisi sponsus suo amore fecisset sponsam. Ita desponsata sponso petit trahi, ut una currat cum sponso. Quo currunt ambo? Ad floridum lectum. Quis lectus? Tranquillitas animi in Deo. Dum mortalis vivitur vita, eaque abeunte, æterna. In hoc lecto est beatitudinis consummatio. Hunc anhelat amor sponsæ, & impatiens moræ languet odoriferis spei refocillanda liquoribus. Huc ubi ventum, quæ non voluptas? Sponsus commoratur inter ubera charitatis, quam insignivit in sponsa, levam capiti supponens, dextrâ in arctiores eunte amplexus. Electionis ad vitam sunt istæ manus, è quibus sponsa nequit eripi. Quam fœlix torus! hærent castissimo fidei nexu calentes, verbique divini osculis ligati animas hinc, & hinc errantes per rosea transfundunt labella. Quas animas? Sponsus alias atque alias perseverantiæ gratias. Sponsa alias atque alias gratiarum anhelationes, & laudes. Hic sponsa beari cœpit. Quomodò beari? Messuit, sponsus mirrham cum aromati-
bus.

s. Comedit favum cum melle: bibit ıum ſuum. In horto ſponſi creverunt ı, & in humanitatis ſuæ penu recondi- offerebat ſponſæ, quando dicit, *Surge, pera Amica mea, Columba mea, Formoſa ı, & veni.* Et nè unum videatur invi- ſe, plures vocat. *Comedite amici & bi- , & inebriamini chariſsimi.* Quid come- ıdum? Quid bibendum? Caro, & San- s ſponſi: indè vita. Redeo ad amores nſi, & ſponſæ; cùm illi ſeſe tam mol- r & jucundè ſuaviantur; putas nolle ſe, quod volunt? Et velle carere, quo dulciter fruuntur? Amor impedit nol- facit perfrui.

Nulla vis major pietate vera eſt.
Iurgia externis inimica durant.
Quos amor verus tenuit, tenebit.

Seneca in Thyeſt.

ıpropter hoc ſaltem modo non perpe- dixerim, non poſſe nolle, quorum ıntates amor in unum compegit: & à ia neceſſatiò fieri, cujus ab illa tam ef- ɛ eſt executio.

ed & iſta riſui habet quorundam ho- ım audacia extrà verbum Dei polan- ı neſcio in quas non opiminum ſuavi- es, quæ Ariſtotelicis delibutæ pi- ntis exitiali ſimplicem veritatem, gunt profundo. Quid aïunt? Iſto mo-

do totum dari gratiæ. Liberos non esse, qui non sunt libertatis huc illuc flexibilis: gratiam, si huic non auxilietur, sed dominetur auxiliarem non esse, sed hostem. Non ita est; libertas nomen virtutis est. Liber non es, quia Deus paternè cavet nè sis malus? Nulla major nec melior libertas quàm sub sapientissimâ Dei miserentis gubernatione. Hæc gubernantis & gubernati constat concordiâ. Quæris quid in amabili divinæ gratiæ, & humanæ libertatis unanimitate peculiare sit unius & alterius? Quod dominæ? Pedissequæ. Hanc ignaram boni, & nolentem illa excitat, adjuvat, potentissimaque delectatione facit volentem, & sequacem ad bonum, & in illo perseverantem. Concordes sunt; satis hoc. Judicium communi dividundo hic profanum.

Si sic est: si sic agitur, à saxo inquies, vi impulso non differt homo: nec ab hoc Plauti.

Enimvero DI nos, quasi pilas, homines habent.
Deum calumniaris. Saxum animâ, ratione, voluntate caret. Homo tribus illis præpollet fluidis quidem suapte naturâ in pravum, sed gratiâ in rectum reductis: atque ita fit, ut atris nativæ cœcitatis squamis exutus videat meliora, probet & sequa-

ſequatur, ſed ſingula per gratiam, fiatque totus Chriſti.

Times meritò? A te nullum eſt: à gratiâ eſt: & hæc ſinit dici tuum, quia in te, efficit; licèt verè donum ſit. Demus Deo, quæ Dei ſunt: omne bonum eſt Dei. Nihil habes, quod non accepiſti: ſin accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? *Ab ipſo creati ſumus in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit, ut in illis ambulemus.* Nota præparationem anteriorem ambulatione. Si præparatio tota ſit præparantis, & nulla in parte ambulantis, dicamus cum S. Cypriano, *In nullo gloriandum, quia nihil noſtrum eſt.* Taceam ego: loquatur vir Dei, *Laborant homines invenire in voluntate, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo: & quomodò inveniri poſsit ignoro.* Meritò ignoras: quis enim poſſet? Cogitatio boni vix ulla pars boni, voluntate minor eſt. Et cùm S. Paulus fateatur ſe idoneum non eſſe ex ſe ad cogitandum quicquam boni tamquam ex ſe, totamque ſuam facultatem à Deo ſuffici; quid ſuum quæret voluntas, quod nè quidem cogitatio inveniet?

Ad Eph. 2. 10.

2. ad Cor. c. 3. 5.

Pius ita modeſtè ſentiet. Nonnè tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es bonæ olivæ? Hoc S. Pau-

Ad Roma. 11. 1.

lus asseverat. Insitione igitur factus est socius radicis, & oleagine pinguedinis. Quæ ista pinguedo? *Sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio.* Noli gloriari radix te portat, & alit, non tu illam. Ramus es, & alumnus. Christus radix, & altor. Tu autem sta fide. Noli altum sapere, sed time. Non stas fide, si non totus in gratiâ. Altum sapis, cum aliquid tuum supra gratiam exaltas. Quantulùm illud tuum, quo gloriaris, clarè docuit Christus, jubendo, *Cùm fecerimus omnia quæ præcepta sunt, dicere, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Hic considera hominis voluntatem, & factum. Quidquid ab utrisque proficissitur, etiam perfectissimum inutile est; quapropter jure dicit Dominus; *Para quod cænem: & praunge te, & ministra mihi, usque dum manducavero, & bibero: & posteà tu manducabis, & bibes.* Christus veritas est: mentiri non docet, cùm jubet pro inutili æstimari, quod etiam benè fecimus. Quid autem est quod servum sudoribus exhaustum, & toto corpore lassum post ministerium divinum vocet ad posteriorem mensam? Sola gratia: hæc servum asciscit familiæ Domini: hæc servum alit, instruit, & aptat operi, exercetque impigrè.

Ad Corinth. 1. cap. 1.

grè. Et licèt in debita laborum exantlatione cooperetur libera servi voluntas: ejus tamen coràm domino nulla ratio, quia servus dicatur inutilis. Est ergò cur servus gratiam agnoscat, & non jactet laborem: exultet in illa: non in hoc turgescat. Sit summa; quidquid pium est: à gratia est opus dicatur, homine at qua pium, Dei. Sic nihil eminenti gratiæ detrahitur: & opus à gratiâ commendatur.

Bellarm. l. 6. de gra. & lib. arbitr. c. 11. §. 10.

Ego ab effectis gratiæ reductus ad immensam Dei misericordiam, ejus contemplatione, & haustu fruor ad malorum invidiam fœlix: & dico: ô Deum Opt. Max. quid Opt. Max. Quem seipso maximo majorem sua facit misericordia. Licèt exclamare ô Deum te de Deo majorem!

CAPUT VI.

Providentia Dei regi omnia, & ab ejus meditatione multiplices esse fructus, quibus bona Mens alitur.

IN omni rerum, hominumque statu, mirum quantùm dominetur Dei providentia toti suo operi plenissimè infusi, non autem extrinsecus solum circumfusi, om-

nia non otiosè ſpectantis, ſed potenter tractantis, & exequentis immutabili ordine, certo loco, definitoque tempore, ſingula ſacro complexa modo, nec alia ab aliis aliena, tametſi multa à multis ſuaptè naturâ aliena. Quantùm hoc! ut quæ ſunt aliena, non ſint invicem aliena. Calidis non pugnant frigida: non ſiccis humida: non duris mollia quæque ſuis locis regnant, & magno Deo reguntur, alibi in ſuo ſimplici; alibi in ſuo compoſito, ubique ad miraculum.

Ad homines ſi eas, quot in illis obvia bona, & mala! concinnat tamen iſta Deus. Quamquam malum ſemper malum: & bonum ſemper bonum. Malum à matre malâ, quippè à voluntate malâ. Bonum à voluntate bonâ: ſed illa ab homine malo: hæc à Deo Optimo, qui utramque in regno ſui univerſis aurigatur ad metam boni: & uſus utriuſque per repugnantia in unum finem obſequiosè extrà labem eſt. Reſpice ad automata, in quibus curſus rotarum in contrarios orbes meantium certo gnomone deſignat horarum ſpatia. Et ut in humano hoc artificio eſt, quod laudes, ſic nihil in providentia quod culpes.

Muſſas? Malum ancillari bono: & utrum-

utrumque fati seriè contineri : ac propterea Deum utriusque videri authorem ? Non rectè. Separanda permisces. In adulterio, cædibus, aliisque id genus delictis, voluntatem à facto discerno : (a) illa semper mala, & licèt innexa fato, non tamen à fato fit mala : ipsum verò factum à Deo præfinitum : & æquissimè à crimine in bonum ordinatum abit. Sin instes; factum ipsum sine mala voluntate non evenire, proindè utriusque eventum esse à Dei voluntate; quid tum ? Nihil mali habet voluntas Dei permittentis malum, & volentis factum : aut volentis malum permittendo, & volentis factum decernendo.

(a) S. August. in Enchrid. cap. 101. & seq.

At permissio, & voluntas reciprocantur, inquies, non ex toto. In permissione quædam voluntas, quæ ab æterno malum præsciendo, non etiam præscribendo voluit patrari, quod fatali sui executioni concinnaretur : Deo quippè illam suam voluntatem ad hoc potiùs præparante, ut per illud, quod præsciebat malum, agens justè, ipse bonus efficiat bonum. Intereà quantùm ad peccantes, fecerunt illi, quod noluit Deus : vult enim eos facere benè, & ni faxint, punit malos. Nec quæras cur gratiâ non anteveneratmalum ? Cujus

vult miseretur : & id, quando vult facit. Quantùm ad Deum, non fecerint, quod ille noluit: at fecerunt quod sivit, non utique nolens, sed volens : nè nolenti non sit omnipotentia, quæ, si quippiam, eo nolente, fiat, non erit, quod dicitur. Non alia mente B. Fulgentius, *Deus licèt author non sit malorum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum, & de malo opere cujuslibet mali non desinit ipse bonum operari : nec in ipsis injustæ voluntatis operibus deserit operum suorum justum ordinem : quia & hoc in ipso ordine habet, quod malum justè deserit voluntatem, quam tamen hic in suis malis operibus à se discedentem deserit, ut ibi permittentis Dei operatio bona non desit, dum & in peccantis voluntate injustâ implet ipse justitiam ; & de malo quo peccantem judicat, quibus ipse vult, beneficium prorogat.* Hîc subsistendum. Malis hic esse Dædalus ; quàm Icarus. Et si celsum æthera investigationis volatu pulses, cadendum in hæc Pauliana ; *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus, quis enim cognovit sensum domini ? Aut quis Consilarius ejus fuit ?*

De prædestinatione lib. 1.

Etiamnum hæres ? Te tibi, fortunæ relictum existimas ? Absit hæc cogitatio

tam impia, & falsa, quæ ab illa fluit, Euripidis sententia.

——— *Res summas Deus*
Tractat: minores ire, qua fors fert sinit.

Non tota falsa, si & hominem habeat inter summas fortuna, quam error facit deam, cæloque locat, eventus fati est. Non malè Philemon in istum errorem.

Profectò hominibus nulla fortuna est dea:
Nulla, inquam: verum quidquid temerè provenit.
Fortunæ à nobis accipit vocabulum.

Tota mundi machina tui causâ condita gubernatur; tuinè sederet Deus injuriosus? primam creaturæ nobilissimæ, & ratione propè divinæ dicam semper, & ubique testatus est, tantò melior, & major, quantò difficilior est captu boni, magnique, ac justi, misericordisque Dei; nimirùm cum bonos adversis, & tristibus opprimi doles: malos secundis & lætis indignaris efferri: & effrenatos impiorum furores ali in bonos impunitate diuturnâ. At non eo tamen minus Deus Optimus est bonis vero affectu: & in malos Maximus justo judicio.

Constans hujus rei ex certâ, firmaque fide meditatio piis cordis adytis insita, efficacissimoque cæli rore fæcundata plurifar-

fario uberat fructu. Primus est *fidentia.* Hæc animum forti contisione, indubiaque ſpe ad Deum evehit, in eoque pangit, & alumnum facit. Hîc ille, velut inter materna puellus ubera digitulis lusitans tenellulis, blandiſque errans ocellis, & ore lacteum in nectar hiulco ſiticulus, amabilem Dei vultum ridibundo uſque oſculatur obtutu, paternamque in ſe curam allicit, & excipit. O quantum bonum in Dei ſinu repoſtum fidenti, & ſperanti! Sive vi ſuperum alto jactatur, undis in naufragum horrorem aſſilientibus, tutum ſcit, & occupat portum. Sive terrâ periclitatur inter cruentas hoſtium manus, aut voraces immanium belluarum rictus, ſpernit iſta, quæ dicuntur inhumana ſcelere, & aſpectu horrida: & in ſummâ deſperatione ſperat, ſeque protinùs in hoc Davidicum relaxat melos; *Qui* *Pſalm. 90.* *habitat in adjutorio altiſsimi, in protectione omnipotentis commorabitur. Dicet domino ſuſceptor meus es tu: & refugium meum Deus meus. Sperabo in eum: quoniam ipſe liberabit te de laqueo venantium, & à peſte exitiali. Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis ejus ſperabis.* Sive familias, pecudes, ariſtas, & ſylvas de cælo videat tactas, aut in prædam raptas, immortalis poſſeſſionis dives

dives eſt. Sordeat terrena, dum cælum ſuſpicit. Non admittit hæc providentiæ fiducia, iſtas vulgi ſententias; ferociam impiorum, nè noceat retundendam: & inter lupos vlulandum: nam novit Dominum propè eſſe, ejuſque virtute illorum audaciam, bonitate malitiam ſuperari.

Alter eſt *Obedientia* cui fidis, & à quo nihil ſperas, niſi quod tibi vertat bene, non obſequeris? Illi parere, fœlix libertas. Scis illum mortalium Imperatorem; quo vocat, eundem. Generoſæ pietatis es, quod, ceu bonus miles ruas in vulnera, tranſverberatuſque ferro ames moriens, pro quo cadis Deum. Cleanthes hoc paratis ſuccurrente in obſequiis

Duc me parens, celſiq; dominator poli,
Quocumq; placuit: nulla parendi mora eſt:
Adſum impiger.

Tertius partim roſeo, partim candido pulcher colore ceu ebur violatum oſtro, ſuaviſſimum efflat odorem in aſtra; ſcilicet *Gratitudo*. In ea ingenuitas eſt, quæ divini magnitudine muneris erubeſcit: & candor, qui licèt reddendis impar gratiis, dicendis tamen ſincerâ ſtudet curâ. Cùm cogitas Deum tibi, quando non eras, paraſſe, quod es: dediſſe quod habes: dediſſe quod non merueras, an non tan-

ta benignitas monet, nè sis ingratus? Quid æther immensus ambitu, innumeraque stellarum virtute fulgidus, terraque ejus vividis circumdata amplexibus in rem tuam divites? Nonnè monent, nè sis ingratis?

——— *Fruimur Iove, & utimur omnes;*
Nos genus illius. Nobis ille omine læto.
Dextra præsignat: populumq; laboribus urget,
Consulat ut vitæ.

Impius est, quisquis hîc ingratus. Attolle porrò mentem in altiora mysteria, & intelliges destinato consilio, & præscientiâ Dei Dominum nostrum Jesum Christum Deum cælo descendisse: & in homine gessisse, quæ fidem superant, nisi etiamnum in veris litterarum monumentis torquerentut. An non natilitia cunarum inter homines vilitas, inter Angelos majestas, vita virtutum omnium refertissima, & inexhaustâ scaturigine in beneficiorum fontes fluida, vulnera, crux, mors & tot miraculis manifestata divinitas pio jure mandant, nè sis ingratus?

Ab hujus providentiæ radice pullulat in stirpem vægrandi constantiæ coctum subere *Patientia*, densissimisque fortitudinis latè contra quævis inimica offusis stat immota brachiis. Qui credit Deum omni-

nipotentem, & universi gubernatorem, vindicem mali ad mortem, vindicem boni ad vitam, in Christo suis Optimum Maximum misericordiâ, & veritate, clamabit ô socii!

Dabit Deus his quoque finem.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Gaudet duris, non murmurat: quia scit ab illo decerni, cujus justa novit judicia. Tolerat, non odit. Quisquis odit tolerando, furorem velat. Versâ igitùr in virtutem necessitate, se, suaque libens permittit Deo, & voluntatis facit officium: cujus tenacem propositi non malorum ardor pessima parantium, nec truculentius instantis tyranni vultûs, non carnificum manus nudum corpus lacerantes, non candens calybs, artibusque infusa pestis, & medio in vulnere lucentes flammæ mente quatiunt solidâ: &

Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Injusta, ut ferat, patitur, datque tacitus victori manus, adhortante *Iesaiâ*, *in spe & silentio erit fortitudo vestra*: animumque alacritate stabilitur patientia: semperque fortem videris, cui suavis sua fuerit conditio, æqui, bonique omnia facienti. Atque ista æquitas sereno demissa cælo,

est

est quasi mater patientiæ, quæ novit egere, & abundare. Nunquam non in se dives es, melioreque tempore suas ostensura divitias. Quemadmodum arborum vis rigente hyemis inclementiâ, intus latet contracta: verè revigescit in amœnam foliorum viriditatem, & odoriferas florium lubentias: sic percellentibus adversorum crudelitatibus Vir bonus intrà se fixis virtutum tentoriis, sibi abundat, gaudet, & in fœliciorem diem internas opes apertis foribus, patefacit, monstratque quid à Deo acceperit: & quam omnia, etiam amarissima divino irrorata melle dulcescant. Tantùm homini insculpta potest Dei providentia, à cujus ignorantiâ omnis impatientiæ proficiscitur causa: indeque est, quod tam citò, & facilè tumultuemur: & sæpè dispondeamus animum.

Postremò se cæteris associat *securitas* in posterum. Hanc anchoram habet, quisquis non indubitat Dei sceptris. Ille maris, ventorumque potens imperio omnes fluctus tranquillat, adhortaturque, quid times? Ad clavum sedeo; quid times? Deum vehit tua cymba. Hac Optimi Maximi Regis voce permulsus, atque recreatus affatur, *Dominus illuminatio mea;*
Psal. 26. *&*

& salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

Quam fœlix ista securitas! metuendis perindè, ac sperandis prodit obviam utrisque æquabilis: dicas rupem projectam mari, quæ nunc alludentes fluctus levi suaviatur obice, nunc timendo incursantes ariete frangit, victrixque iratas elementi spumas musco suo tenet, quo ad in æquor liquescant. Ceyx & Alcyone in aves mutati nidum hyberno tempore in medio pelagi supernatantem struunt, ovisque incumbendo securi lucifero Æoloque generant nepotes:

Tunc via tuta maris: ventos custodit, & arcet
Æolus egressu, præstatq; nepotibus æquor.

Miraris si Dei providentia inter circumfrementium malorum furores mentem faciat quietam? Revolve, quæ dixi, qui Deo fidit, impigrè paret tàm patiens in calamitate, quàm gratus in prosperitate: & omnium securus eodem it cursu, lætusque in præsens, & futurum hoc suum non interrumpit gaudium, sed placido stabilis loco nec attollitur unquam, nec deprimitur. In hoc olim Philosophi beatam vitam ponebant: sed quâ ad eam semitâ perveniri posset, quærendo numquam invene-

runt, ignari naturæ in primo parente depravatæ, & hæreditariam labem transmittentis in posteros. Multa præclarè de providentia multi differuerunt: nunquam enim obscura latuit, sed mittens sui signa, se suis vestigiis colligendam dabat: qui autem verum ejus fructum percepisset, neminem ulla dedit secta. Virtutem quisque intrà se ambitioso suorum virium nixu parturiebat omninò vanam, quâ contumacem animum pararent fortunæ. Nos Christi luce ad veritatem ducti, invenimus in illo arcanum hunc thesaurum, cujus ignoratio ad extremum omnium miseriarum via est, notitia ad beatitatem.

His imbutum pectus, non inquiet; nihil agam. Quid fatis obsistem aliud agendo? Quod volo, forsan ista nolunt. Quod nolo, forsan volunt: sed potiùs se ad meliora lacessent, cur desideam? Scio, qui me vocet, & quò. Deus est Optimus Maximus. Summum bonum albet in scopo. Omni studio hùc tendam, quia fatis allaborandum, non indormiendum: sic ad optatum pervenitur finem. Et licèt quò ego volebam modo, nolit Deus: cogitabo tamen ab illo quoque illud esse; ut ego velim, quod non vult ipse; ego ejus inscriptam virtutum tramiti sectandò volunta-

ta-

tatem; ipse arcanam suam exequendo. Utrasque amplectar: nec invicem contrarias incusabo, quia utraque in bonum, quod persequor, exit. Cæterum in mediis causis labor Apollinis apud Bionem placet.

Obstupuit tanto luctu perculsus Apollo,
Implorat tamen artis opus, viresq; medendi:
Et nunc Ambrosiæ succo, nunc nectare vulnus
Perluit. Heu fatis Herbæ certare minores!

CAPUT VII.

A divinæ Electionis ad æternam vitam Fiduciâ bonam Mentem firmari: & undè istam fiduciam homini liceat capere.

FRuctus tam multiplicis perceptio non est tui arbitrij: tota gratiæ est: & in Deum agnoscas datorem, perdes donatum. Agnoscendo bonâ fruitione dives eris, & omninò bonæ Mentis, quàm magis, ac magis stabilit electionis ad æterna bona cogitatio, & in te efficacis persuasio. O cælestem electionis meditationem; quàm suaviter in te Mens nostra est tranquilla! antè tempora apud æternum eras:

ac tandem executionem in temporibus es exorsa. Paucis arcanum pandam. Creatâ mundi pulcherrimâ fabricâ, & omni, quæ in illo est rerum abundantiâ, deerat usus; *Faciamus* (aiebat Deus) *Hominem ad Imaginem nostram.* Elementis itaque in homine aptatis, & in mutua functionum officia digestis, ceu parvo mundo Spiritum incorporeum immortalem, & rationalem, magnisque præter naturæ integritatem donis rutilantibus exornatum inflavit, qui omnes infusus per artus admirandam in summa corporis moderatione manifestet præstantiam. Hoc primus mortalium Pater habuit exordium: & uti divinas animi dotes, quibus ad creatoris sui specimen effulsit, sibi & suis accipiebat in excellentissimum immortalitatis ornamentum, si earum tenax obediendo perstitisset: ista sibi & suis eas in æternam animæ deformationem perdidit peccando.

Exin hæreditaria in progeniem proserpsit contagio: malum, profectò, omni facultatis humanæ remedio majus. Quid faceret infœlix homo; Perierat: in primi namque Parentis lumbis omninò lethalibus reus mortis nascebatur ad supplicium. Peccati stipendium mors est. At audi decreta

creta Dei. Justitia horrendis fulgerans oculis antè mundi, hominumque cunabula prospectans tam impium ausum, fulmine dextram Dei in summum Adæ, & nepotum armabat exitium. Verum misericordia paternis leviter insinuata præcordiis fulminantem morata est manum, & commiserationis suavio justum emollivit rigorem, usque adeò efficaciter, ut Deus conclamatam hominum massam dividens, aliis summè misericors factus sit pater, aliis justissimus judex; illis in dilectissimo filio suo Jesu Christo Salvatore ad vitam; his in Adamo peccatore ad interitum. O adorandam sapientiam! voluit esse misericors indebitâ electionis gratia, qui poterat in omnes debito reprobationis sævire judicio. Voluit esse justus, dum alios indurat, quo Deum non reperiant salvantem, quem delicto meruerunt damnantem. Hinc te Deus & misericordem amamus, & justum prædicamus.

Interfatur aliquis pro reprobo; indurat? O duram vocem! quid gratia discernimur? Æquat cunctos, quos unum inquinat facinus. Quæ ista, per Deum immortalem, justitia? aut jungat æqualis gratia: aut æqualis plectat pœna, quos eadem tenet noxa. Sile; iniqua non est

te prætereuntis gratia : justa est præteriti, cujus noluit, Deus misereri, damnatio. Nolentis misereri causa à sola Dei voluntate est, non à te : si à te sumatur, nihil in te est, quod sit in aliis fœlicioris sertis: sed nolens misereri, voluit damnare. Cur quæris indurari ? Si te tibi relinquat : si velit, nativo tuo indurescas pravo, quæ iniquitas ? Repellit Deus, indurat Deus, excæcat Deus, quem nec vocat, nec mollit, nec illuminat. An Deo non permittes, quod Regi terreno uni ex multis capite damnatis scelus impunitum dimittenti, & alios jubenti duci ? Nè igitùr tam profano insanias obloquio. S. Paulus velut è cælo hæc effatus, *Non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem : aliud verò in contumeliam?* Rogas quare unum magis in contumeliam, quam aliud ? Rideret figulus. Non licebit Deo, quod figulo ? Judicia Dei judicabis ? Scrutando profunda, cave præcipitium. *Si hac massa* (ait S. Augustinus) *esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustrà videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cùm verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio, quod ex ea fiunt*

August. Epist. 106. Bonifacio. alias Paulino.

fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ: quod verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est. Hoc quisquis cum Ecclesia sapit, non contra gratiam pro meritis disputat, sed misericordiam & judicium Domino cantat. Ut nec misericordiam recuset ingratus, nec judicium accuset invitus. In hanc sententiam, ivere Viri magni, nè à S. Paulo abirent.

Bellar. de gratia, & libe. arbi. lib. 2. cap. 10. (ubi rectè explicat. cap. 9. ad Roma.) item cap. 16.

Istis, inquies, quantùm turbatur animus! tanto Apostolo nolim obloqui sed inter repugnantes sententias collidor. Ad Romanos scribebat illa memini quid ad Timotheum; *Obsecro igitùr primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt; ut quietam & tranquillam vitam agant in omni pietate, & castitate: hoc enim bonū est, & acceptum coràm Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis veniret. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Hâc omnibus salutem video propinari: omnibus Christum Jesum Mediatorem & Redemptorem dari audio. Qui omnes dicit, neminem excipit: quare Deum non

1. cap. 2.

omnibus æquum existimem? Nè diutius fluctues, nihil perplexi habet sententia. Ex ratione Apostoli intelliges, quinam illi sint, quos omnes Deus vult salvos, modò eam non scindas: in cujus connexu unus Deus, unus & Mediator Dei & hominum, & Redemptor, stant individui. Omnium hominum unus Deus est, & non minùs Regum, Principum, & aliorum quicumque dignitate sublimium, quam privatorum. Quos ergò in complexum verbi (*Omnes*) convocat? Quibus Christus Jesus est Mediator, & semetipsum dedit in redemptionem. Mediorum voluntas designat voluntatem finis. Media sunt, Mediator unus, & Redemptor. Hæc solis electis effectu sunt præcipua, quos & non alios voluit salvos, & quidem ex omni hominum genere, non autem omnes homines. Si alios voluisset, nec fecisset, ubi omnipotentia? Deo volenti parent omnia. Nefas cogitare, non fieri, quod ille voluit. Nihil tutiùs quàm ejus amplecti voluntatem læto nuntio per Angelum denuntiatam Josepho; *Ipse salvum faciet populum suum.* *Suum* dicendo, dicit omnes. Quin *Suum* dicendo aliquos excludit, quos pro suis non habet Christus, & in peccato relinquit nullâ culpâ relinquentis:

Matth. 1. 21.

quentis: ſed peccato non effugiente juſtitiam punientis.

Audiamus Dominum, *Non miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Alibi; *Non pro mundo rogo: ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Si miſſus eſt ut ſalvet mundum, cur Patrem pro mundo non rogat? Quem mundum vult ſalvum? Mundum qui non eſt de mundo, & mundus eſt ab immundo: quis ille? Quem Pater dedit filio, & pro quo Filius ſe ſanctificat, ut ſit & ipſe ſanctificatus in veritate. Sic ſe veritas interpretatur. Poſteriorem ſententiam calumniaris, niſi in prioris luceat intellectum. Manet itaque Deum nolle ſalvos, pro quibus filius noluit orare: ſalvos, quos filii non præterit oratio.

Si lex fixa, hæc eſt, alios ita reprobatos, ut neceſſariò maneant reprobi: alios ita electos, ut nullâ ſpongiâ vel letheo inebriata rivo deleantur electionis albo quò hæc dulciſona ſententia? *Chriſtum pro omnibus crucifixum, & mortuum.* An ſolo adblanditur ſono? Impiè negavero pro omnibus mortuum. Quod enim ad ſufficientiam pertinet ſalutis, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi: audi Leonem:

Quoniam paribus non cedant pares copiæ. Justè, & providè hæc quidem, verum manet hæsitatio, cur misericordia inveniatur in paucis, quæ non nisi in multis dicenda videbatur magna, & major omnibus operibus. Audi; in universis electis & reprobis magnam conspici misericordiam. Deus in universis vidit, & videt non ferendam peccati audaciam, contaminationem execrandam, & sui impium contemptum. Cùm igitùr ultore fulmine non difflat universitatem, singulis clemens est: nec peccatis, severoque justitiæ interpellatu avocatur ab inexhausta beneficiorum largitate. Aqua, aër, terra suas peræquè dividunt divitias. Sol, Luna, cæteraque sidera pari lumine in commodum omnium occidunt, & redeunt. Scientiarum dotes in quo ævo non præclarissimæ? Ad summam gentilium fœlicitatem obstupescimus: & magno illis affusa dona sectamur studio.

Hæc misericordia in universis. Verum quantò major in electis, tantò magis supereminet omnia; atque illâ se quodammodo major est Deus; quos enim jure damnâsset, eos liberando misericordiæ post habuit justitiam: noluit illis esse justus. Voluit esse misericors, nullo præceden-

dente merito gratiam liberantis. At quare hoc in tam paucis ? Non ultra pergendum contando. Voluntas ſtat in verbo majeſtatis. Quis Deum ad rationem depoſcet? Offenſus peccato voluit iraſci ut juſtus appareat : quonam modo ? *Suſtinendo in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum.* Quam hoc potenter ! Et quam ordinatè ! quantâ potentiâ malos flectit in bonum ! quanto ordine in pacis vinculum coërcet ! ex ipſa vitiorum fœditate , & impiorum conditione quedam mundi pulchritudo adornatur. Malorum dominatio , quamvis atrox & bonis acerba , ſervit tamen ad meliora.

Atenim multò juſtius prævidentia meriti maſſam diſcerni , unum in cælum ſublimantis, alterum in Acheronta mergentis. Error eſt ; ſi meritò maſſa diſtinguitur quo iſta ? *Deus nos vocavit vocatione ſuâ ſanctâ non ſecundùm opera noſtra , ſed ſecundùm propoſitum ſuum , & gratiam , quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu antè tempora ſecularia.* *Quod quærebat Iſraël non eſt conſecutus : electio autem conſecuta eſt , veteri verò excæcati ſunt. Electio non eſt ex operibus, ſed ex vocante.* Quam luculenter alibi Paulus ! *Quos prædeſtinavit ,hos & vocavit : & quos vocavit, hos & juſtificavit : quos autem juſtificavit, hos*

2. ad Tim. 1.9.

Ad Roma. 11.7 & 3. 11.

hos & glorificavit. Cui tribues hæc divinitùs connexa? Quæris prædeſtinantem? Deus prędeſtinat. Vocantem? Vocat Deus. Iuſtificantem? Juſtificat Deus. Glorificantem? Glorificat Deus? Dei in ſolidum eſt hic beneficiorum nexus. Et quid boni prævidiſſet Deus in nobis, qui in Adamo eramus corrupti, peſſimi, perditi? An in malo bonum? In peſte ſanitatem? In exitio ſalutem? Dic ſodes, quod huic exitio remedium, in te inveniſſes homo miſer, quo prævidentis demeruiſſes electionem? Si te gratiâ conferendâ benè uſurum prævidit, nihil hîc tuum vidit. Uſus iſte eſt effectus gratię germinantis in bonum. *Electos nos in Christo*, Scribit Apoſtolus, *Antè mundi constitutionem*: Ergò non in nobis: *Prædestinatos in adoptionem per Iesum Christum*: Ergò non per nos: prædeſtinaſſet per nos, ſi à meriti præviſione incepiſſet prædeſtinatio. Addit, *In ipsum*; ſive intelligas in ipſum prædeſtinantem Deum, ſive in Chriſtum, neuter ſenſus conditionem prædeſtinationis in te ponit. Non erubeſcis ad hæc verba? *Secundùm propositum voluntatis suæ.* Quod ille propoſuit, fecit, Dictione, *Suæ*, tuam excludit. Quo jure propoſitum Dei facis tuum? Facis, dum illud fit meriti tui heliotropium.

Ad Ephes. 1. 5. 5.

O

O nefas! etiamnum massæ divisio videbitur hominis merentis, & non potiùs eligentis Dei? Non elegit, quia prævidebat nos sanctos: sed elegit ut essemus sancti.
Ad Ephes. 1. 4. Ab electione nostra sanctitas, non ab ulla nostra virtute. Naturâ profanos spiritus Deo consecrat, quod fit insitione in Christi corpus, extrà quod nîl nisi pollutio. In illo omne bonum, quos in nos fide trahimus alumni.

Urgebis non in carne, sed in anima sedem esse peccati: animas non ab Adamo traduci, verùm novâ creatione corporibus infundi: quo jure illæ luent alieni delicti pœnam? Ad hunc incursum stupent multi, dum contrà humanæ rationis temeritate luctantur, nec acquiescunt Sancto Spiritui per Apostolum asseveranti, *Omnes in uno homine peccasse.* Præjudicium hoc est inter Christianos. Quid ultrà tendis, & acumen ingenii fatigas incassum? At religiosam hanc modestiam redit Heterodoxus obtentâ avitæ labis imitatione inficiatus propaginem. Rideat, at constrictus effato tam peremptorio tenetur, *In quo omnes peccaverunt.* Non nunc in illo primum peccamus nati, sed olim peccavimus nascituri. Imitatio posterior est exemplo. Ad ex-

exemplum non peccat, qui simul in eo peccavit. Hanc metam nimia transiliens curiositas, in quas non se tricas induit? Alius traducit animum filii de paterna: & magna propugnat ratione. Alius ambiguè aut animam & corpus ex semine trahi: aut alterum in altero tamquam in vase vitiato corrumpi. Nihilò certior aliorum assertio, novas quidem animas singulis corporibus inseri, sed nos cum Adami peccato in paradiso communicasse, quia in lumbis jam tunc peccantis eramus. Sed quid hoc ad animam, quæ in Adamo non vivebat, & novâ creatione contubernium corporis erat ingressura? Animo corpus animat, & regit. Non intelligo corpori concretam labem, quæ tam nobilem ac novum hospitem hostili inficiat complexu. Quid enim caro in animam valet? (a) anima spiritus est. Ab anima cepit in paradiso infidelis elatio, & indè ad transgressionem præcepti consensio. Et quæ non alii commenti sunt?

Forsan major aliquid color aut ad veritatem, aut temeritatem addet inter totius propaginem & novæ creationem medius; Deum nimirum in prolis anima creanda efficaciter hoc agere; ut paterna quippiam absistat, solidoque spiritus incorporei,

(a) D. Bell. tom. 3. contro. 2. cap. 12. vers. hæc sententia si accipiatur.

rei, & immortalis valeſcat incremento, quod in novam continuò emicet animam, ſine ullo paternæ detrimento: & hoc fieri non in qualitate ſeminis transfuſione, ſed quando Deo viſum animam permiſcere corpori.

Sed quid eſt illud quippiam, inquies? Num pars animæ? Et quonam modo illud abſiſtit? Neſcio, an fallar, ſi in ipſo jam ultimæ voluptatis æſtu in genitale ſemen deſpumante, quaſi fulgerantem conſiderem animam, & indè velut animæ aliquod fulgetrum abſiſtere, quod non illicò fulgorem perdit, ſed creatoris potentiâ verſum in ſtabilem, perennemque radium, non totum ex anima eſt, aſt aliquâ ſui parte creatum ſubſiſtit, & ſemen in materno arvo & ſulco eliquatum, præeunte fato, intus comitatur. Sic fortaſſis Adami coſtam animatam mutavit in Evam omnipotens. Non enim in Evæ, ſicut in Adami faciem ſpiraculum vitæ ſpiravit: Sed ex primo illo ſpiraculo elicuit aliquid, quod pari Spiritus immortalitate donaret. Non miramur abſtruſo in venis ſilicis igne ad conflictum & tritum ſcintillante capax ſcintillæ nutrimentum confeſtim flagrare: An omnipotentiſſimus Dei Spiritus tantillum non efficiet, ut, quoties

quoties hominem creari libuerit, ex mutuo animorum desiderio, corporumque conatu in prolem æstuosè nitibundo ac totam intus animâ paternâ corporis molem agitante, fulgeret & eat aliquid in æternum animæ vigorem peccati hæres paterni? Et isto sensu isthæc dixissem David videri posset; *Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea.* Si ad libidinem parentis referas, non probo. Pater, & Mater Davidis justi erant. Justorum coïtus, si pudicus sit, justus est. Libidine, non conditione fœdatur. Status benedictionem habet, excessus peccatum. Fortè referes ad semen recenter conceptum, quod novæ animæ opperitur adventum: Sed dictio (*Me*) Aliquid plenius significat; quippè hominem, & non simplex semen; atque ita Davidem in ipsa seminis animati conceptione contaminatum paterna lue: nudum enim semen expers animæ in se nec hominem, nec peccatum habet, quod enim peccatum in terræ excretione? In anima reperies: illud tamque, animæ & seminis jam in uteri claustra recepti coagulo per mistum, sum hominis corrumpit exordium. Et hoc multo verisimilius fit ex eo, quod aliscriptum, *Cunctaq; animæ, quæ ingressæ sunt 26.* Genes. 46.

sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius. Ego equidem, quâ ratione diceres animas ex femore Iacob egressas, & nihilominùs aliundè profectas, ignoro. Notum quidem animam sæpiùs in sacra Scriptura capi pro toto homine! sed hoc auget non minuit difficultatem. Quî precor homo ex femore manasset, nisi in paterno semine? Rursum, quî hominem ex femore deduces, si semen dumtaxat in corpus formetur: & adventitia demum anima hominem perficiat? Ast ista perfectio non verè ex femore Jacob jactabit egressum. Verba Prophetæ Moysis sunt clara. Cui religioni non est obscuriora sequi, ille facilè devius.

Verumenimverò & hæc conjectura multis interrogationum incursionibus exposita, & responsis defensa ibit in vasta disputationis spatia. Libera tamen disputatio non omninò malè tueretur peccati hæreditatem non à novæ animæ creatione, nec à corpore deferri: sed necessariò ab aliquo, quod vitiosum est. Quod illud? certè non Deus. Nec corpus. Deus in omnibus operibus bonus est. Corpus terra est, & in animam nihil juris habet. Restat ut ab anima paterna sit peccati traductio, quo modo? dixi: nolo ultra con-

ten-

tendere in re, quam dubius opinionum incertat conflictus: Et malo cum S. Augustino hîc discere, quam asseverare, nè quod nescio, asseverem, Et secura est ejus ignorantia, quod sine salutis labe nescitur. Quapropter in his subsisto; *In quo omnes peccaverunt.* Quis hoc dictum controvertet? Quod Pythagoræ datum, viro Dei negabis? Crede, & silesce hoc carmine, *Ipse dixit.* Modum inter arcana Dei linque. Quam admiranda Apostolus in cælum raptus audivit, & divino jussu nos celavit: forsan & iste propagati peccati modus inter illa. Quidquid sit, hoc saltem verum est, *Gratiâ nos servari per fidem (& hoc non ex nobis, Dei donum est) non ex operibus, nè gloriemur. Electionem non ex operibus esse, sed ex vocante.* Et illud æquè verum, voluntate Dei indurari, quorum non miseretur: electos assequi, quod excæcati non possunt: sed Spiritu soporis tactis oculos dari ut non videant, & aures ut non audiant, abundè hoc erat, quò ostis gratiæ conticescat.

Ad Ephes. 2. 3. 4. 5.

Bifaria hæc prædestinatio gratuita ad tam, & justissima ad mortem se lucuntis in utroque genere hominum aperit gnis: undè hominem aliàs beatum, aliàs mnatum conjicies. Utriusque lineaenta duxit Propheta & Rex David. *Psalm. 1.*

Prioris erunt in te conſpicua, ſi primum totus horreas impiorum concilia, quæ à recto Dei cultu hominem in impia quæque tranſverſum agunt: & Deum ambiguo ſenſu vel nullum, vel neſcium noſtri tota perſuaſum vellent cunctis res humanas cœco fortunæ caſu volvi, non autem divinâ regi providentiâ: tum ſi turpem & vitioſam vivendi rationem exoſus, viam peccatorum divino deflectas inſtinctu, aut ingreſſus, in ea non ſtes, ſed è veſtigio reſipiſcens ad rectum curſum redeas. Denique ſi in cathedra peſtilentiæ non ſedeas doctus pernicioſi dogmatis, nec irriſor virtutis, & pietatis. Poſtremò ſi tuâ voluntate legi Domini placidè mancipatâ, in ejus meditatione fervidus diſcas, quo verè Deum cognoſcas, ames, colas: & quæ breviſſima ſit in cælum via: & quæ ſpatioſa ad inferos.

Quiſquis in his quatuor profecit, aut pio eorum agitur ſtudio, ſperet benè. Cùm enim te ſentis donatum bonæ voluntatis dono, & in pietatis officia promptum, ſurge, per Deum, licet, in conſtantem ſalutis ſpem confidentiùs, & multis negata tentans iter viâ, ſperne ſervilem timorem terrenamq; diffidentiam fugiente mentis pennâ, vola ſublimior in cælum;

lum;

lum: nec dubita, quin illud tibi quamvis
immeritò recludet Deus, *Qui non dedit Spi-* *Ad Rom. 8.*
ritum servitutis iterùm in timorem, sed Spiritũ *15.*
adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pa-
ter. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spi-
nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, ritui
& hæredes: hæredes quidem Dei: cohæredes
autem Christi; in quo habemus fiduciam &
accessum in confidentia per fidem ejus. Videsnè
fide gigni fiduciam, fiducia audaciam?
Non temerè igitùr præsumis electum, in
quo lucent electionis istæ faces. Harum
ductu prorsùs indubio gaudet sapiens,
seque magno solatur bono. Dei ad nos
per medias causas descensus est. Nosce
quoq; nostrum ad eum ascensum efficaci
graduum serie certum; & incipe ab effe-
ctis generationis ad justificationem, ab
hac ad fidem: ab hac ad vocationem: ab
hac ad æternum electionis decretum, in
quo bona Mens Deo adstat securior, ac di-
vinas quodammodò arcani tabulas inspi-
cit. Secretum Domini canit Propheta, *In ti-* *Psalm. 25.*
mentibus eum, & pactum suum ostendet illis. *14. ex vers.*
Quod enim carni & sanguini patefieri *S. Hieron.*
nequit, solis electis revelatur, *Vnctionem* *Flaminii,*
habentibus à sancto Spiritu & noscentibus om- *Isiodori Ep.*
nia, datus quippè est illis calculus candidus: & *1. Ioan. 2. 20.*
in calculo nomen novum scriptum, quod nemo *Apocalip.*
scit, nisi qui accepit. F 4 Ex *2. 17.*

Ex adverso timeas illi, nè reprobus sit, qui vel consiliis impiorum acquiescens moratur in via peccatorum: vel cunctis ex authoritatis suggestu pestilentem afflat doctrinæ ventum: vel Dei lege neglectâ, ejus studiosis protervè irridet: vel, quod ex singulis proficisci solet, qui quocumque libidinum æstus, impellit, insano ruit furore, ratus à timore primum in orbe factum Deum, eum propterea contemni impunè & rem vanam esse timorem. Hinc, quisquis potentior, vivit plerumque mortalis sortis immemor, & evanido superbiæ aliquantis per potentis solio cellus, velut super caput Altissimi negotium agit, in ipsum impius, in pios crudelis, seque hac nefariâ parenisi exsuscitat; uti potestatem nactus es, sævi. Age quod nulla posteritas vel probet, vel taceat. Utroque modo perennabis. Parum tua referat, virtute, an scelere per posthuma mortalium curras ora in æviternitatem. Inveniet semper tàm sceleris, quàm virtutis laus suos. Alterutrum quod rebus tuis commodius, sequere: animumque majore monstro imple, ubi scelere quæsita, tuenda sunt, aut quærenda dominationis augmenta. Honesta, quæ potestatem precariam faciunt, procul habe, & tibi in privatis sint bonis.

Quo

Quo juvat ito. Bene eſt, ſinitentes auro triumphales palmitas, conſulareſque pretextas impiis obtendas factis, domuſque mane ſalutantium ingentem totis ædibus vomat undam in admirationem vulgi tibi prodeunti, ceu feræ, cedentis. Et quo ætius vitiis indormiſcas, pectusq; diri flagitii flagello liberes, paſce jocorum, veneriſque, cupidiniſque miniſtros, ingeniosoſque ventres. Venus optatis nuptarum, innuptarumque furtis comitata, & innumeris circumfuſa ſuaviis quodvis facinoris minuit crimen riſu. Sic ſic perire liceat in hoc ſcelerato delicio, aliis inviſo, & gravi, tibi inclyto. Ad inane mortis omen nè trepides, in quâ rerum omnium linea; quod ultra eſt oderis curare,

Soles occidere, & redire poſſunt: Catull.
Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua dormienda.

n autem non omnis moraris, parſque iqua tui vitet libitinam, hoſpitem joco mitte umbram pallidulam rigidam, meolamque in loco tenebricoſa, ubi huanas inter umbras ridebit extrà fulmen gulâ. Tantæ ſecuritatis eſt putare nulm eſſe Deum, inane cælum. Hiſce netis vives & morieris tranquillus.

Quis hunc non judicabit perditum?

Cave tamen hîc damnatorium decretum temerario præcipites judicio.

Seneca. *Nam sera nunquam est ad bonos mores via. Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.* Dum vivitur speranda, non desperanda correctio, & hæc ab auxilio Dei miserentis, non à natura scelerate viventis.

Ioël. 2. 14. *Quis scit si convertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem.* Vis electionis in aliis citius, in aliis post longas impiæ noctis tenebras per fidei lumen, ac spei, charitatisque radios erumpit in salutis signum. Et compertum est, nonnullos in mortis confinio dolorem & odium peccati testatos, ac fiduciæ suæ in salutiferis Christi vulneribus anchorâ firmiter fixâ, salvos obiisse. Verum propè abest inferni faucibus, huic qui præfisus exemplo, vivit flagitiosè: nam impia spes, quæ gratiam tam seram temerat peccandi securitate.

Discrimen habes justi, & impii: beati & damnati: habes & vitæ, mortisque conjecturas, iis sapienter utere ad bonam Mentem.

CA-

CAPUT VIII.

Vir bonæ Mentis verâ Dei notitiâ, & gratiâ instructus quî se habeat in rebus externis sive jubeat, sive pareat.

PHilosophus tam divinâ robustus sapientiâ non statim evocatur terris: placet Numini illius bonam Mentem sive regentis, sive parentis, in humanæ societatis bonum actuosam intueri belli, pacisque tempore. Videas regentem alibi sceptro, alibi consilio, alibi judicio, alibi privatum plenus Deo omni ab eo auspicatur. Rex est? Regnum pietate sacrat cælo gratissimum, probitate facit terris amabile, posteris verò perenne, virtutis illas prudentiâ in publicum, & privatum usum præeunte. Bonis artibus indutus, & severis in malos armatus legibus benignis in bonos, & terrificis decoratus armis in hostes pari virtute utramque belli pacisque sortem ornat. Nec insolescit prosperis, nec adversis pressus jacet. Æquitate, non viribus jus metitur, pretio & gratiæ invius: urbe & castris magis mores ejus, quam ebur curule, fascesvè, & lituos sectantibus. Justitiam clementiâ temperat, & subdito-

rum

rum attemperat naturæ, & ingeniis, parcius in delictis publicæ noxæ, effusius in aliis. Cavet sedulò nè immodicum severitate, post metum & terrorem renatos, timere desinant, & incipiant odisse. Alternum Regis, Populique amorem, velut firmissimum vinculum pro excubiis, & circumstantium pilorum horrore securius tenet: & quia ipse solus non videt, nec audit, nec capit omnia, ut ille apud Homerum.

Grandævum legit in primis, fortemq; senatum.

Quos premit fortuna, sustinet, miseris juxta atque fœlicibus amicus, frustrà consulente Photino.

Apud Luc. ———— ———— *Fatis accede, Deisq;,*

Et cole fœlices, miseros fuge.

Bellum libentius opperitur & excipit, quam infert, nunquam nisi ex causa, quam jus, non autem validiora probant arma. Geret virtute, & disciplinâ non sibi, sed suis, tàm olea insignis, quàm hastatâ virorum segite fluctuante formidabilis: ubique pius Æneas, non secus, ac si Deo militaret. Indè animo grandescit lethique superior metu præit militem anhelum exemplo, non verbo ad virtutem, verumque laborem. Pugnandum est? Antè tubam fulget sublimis æquo ad terrorem

rorem hostis: post eam suis ubique conspicuus nunc constantis ducis officio, nunc fortissimi militis, & cum Cæsare.

Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Promovet ipse acies, impellit terga suorum,
Verbere conversæ cessantes excitat hastæ.

Vincit? Illi

Post acies odiis idem, qui terminus armis, Claudian.

Et pro barbaro ritu est cædem cæde, sanguinem sanguine expiare.

In regium accitus consilium quid agit? Cogitat se aurei sceptri assessorem, non Dominum, ejusque vim totam vigere ab honesti & justi respectu. Cogitat & sequitur quid Deus, Religio, lex cogunt, procul amotis, libidine, odio, invidiâ, cupiditatibusque. Non calidus & audax consilio. Nec timet Regi in ausa imprudenter procincto verbis latini Regis loqui;

O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci Virg.
Virtute exsuperas, tantò me impensius æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus:
Respice res bello varias.

Quare lentè consulit, consulta festinanter exequitur, nè plura. Publicè, privatimque prodest ex conscientia mentis suę,

quam ſicut à Deo accepit, ita eam optimi conſilii, & facti teſtem refert ad authorem.

Deſideras videre judicantem? Videbis, in quo nihil deſideres; quippè virum bonum, juris dicundi peritum: cui ſola virtutis & vitii, juſti & injuſti diſparitas pro Themide eſt, nulla verò perſonarum aut dignitatum: & ut ſtrictim dicam, qui

Euripid.

Iuſtis amicus, & bonis: contra malis,
Vbiq; quot ſunt, hoſtis infeſtiſsimus.
Oblata quamvis dona amicorum manu
Numquam recepit: ſpiritu celſo negans
Emancupare quaſtui mores ſuos.

Apud eum neminem diſciplinæ militaris collabentis cauſa defendit: & ſtipendium rapto ac concuſſionibus auctum luit. Magni illi mavortii quantum velint indulgeant graſſationibus in devaſtationem effuſis, Tribunal tamen neſcit parcere: ſententiam fert. Sin exſecranda armorum eluditur licentiâ, ab alieno flagitio eſt. Intereà indignum ſententiæ ſuæ Spretum illis, ad quos ea res pertinet, proponit, ſicque functus officio, cætera committit fatis. Quod enim quærela nequit corrigere, facit levius patientia. Regnum pace ſerenante, illuſtrior judici, ejuſque decretis redit vis & authoritas: & martia illa ani-

animorum ferocitas in civicam morum ſocietatem congreſſa manſueſcit, & æqui fit obſervantior: ſin intus fremat cruenta, pacis impatiens, & qua poteſt erumpat in priſtina deſævit cruce.

Privatus eſt? Admirare in privato lare magnum. Quod eſt, eſſe vult, nihilque mavult, ad utramque fortunam idem. Dives eſt? Mentem cum divitiis poſſidet, his nempè illa dominante. Pauper eſt? Omnium malorum novit leviſſimum, paupertatem, & fortunatiorem, quod in deterius non metuat vices. Hac mente incipit eſſe vitæ beatioris, paratque gloriam parendo. Quibus? Deo, Regi, & eorum muneri ſuccedentibus vicariis. Æſchyli verum dictum,

Tu nè malè urbi conſulas clamans Deos,
Fœlicitatis mater obſequentia eſt,
Vxorq; (ut aiunt) ſoſpitatoris jovis.

Deo morigerus ſemper, & in omnibus, ſive ea ardua, ſive fœlicia: quia novit illum in omnibus bonum, & ejus ab imperio nîl niſi bonum exſpectari. Iuſſa nota ſunt, & eternis inciſa tabulis nullo fallunt pede Varo. Homini quouſque? Ad aras: has ulrà ſi quid imperatur, vel abit ille ſe ſuâ virute involvens: vel ſi abitus negetur, Deo idus humani temnit iniquitatem juſſi.

Minæ

Minæ potentioris in non parentem fulgurant, tonant? Deo animatus obvertit ferro pectus, non avertit, seque hac suscitat in ferientem constantiæ voce; feri tuum hoc est ab iniquo: patiar fortiter, meum hoc à virtute est. Feri, inquam, me non feris: meliore mei parte te ferroq; tuo major sum. In geminam sanguinis es sanguinarius: in me nihil potes, non parebo. Ubi hæc publica non furit iniquitas, & in regno pudor, cura juris, sanctitas, pietas, fides regnant, ubique, & ad omnia alacri festinat obsequio. Quod ad alios vel suæ, vel majoris, vel minoris conditionis, in eos omni officiorum genere humanus & benignus est: duplici tamen cautione, nè aut nimium gratiosus odiis hominum post habeat Deum: aut fœlicitate in assentationem liquescente, vitiis blandiatur: & quo magis sit talis (considera Philosophum) lubricum aulæ culmen fugit, obscuroque positus loco sibi, suisque, queis pietate, & affectu coaluit, levi perfruitur otio: ac tandem dulci satur quiete decedit ad cætum beatorum.

Finis Libri Primi.

PHI-



PHILOSOPHI
BONÆ MENTIS,
Liber ſecundus.

CAPUT PRIMUM.

Viri Bonæ Mentis quamlibet actionem calumniis morderi.



Ulti in hoc vitæ theatro fœlicitatis acclamationes accipiunt: ſed quia ab affectu vel adulatione, & non à virtute ſunt, fumum puta. Illuminatum verâ Dei notitiâ, ejuſque dilectione fervidum, providentiæ & electionis contemplatione ſuperis familiarem, quique publicè & privatim actuoſâ profuit virtute, rectè fœlicem & bonum credideris. Quamquam & hoc bonum non

ſine hoſte ſit; aſſiduè eminentem virtutem comitante invidiâ, cerne quod monſtrum, ab illa genitum, ſinuoſis flexibus, ore in vulnus ringente, caudaque, aliud pulchrè circumligante, adſerpit, & infeſtat tergum, greſſuſque boni Viri. Calumnia eſt cum injuria. His vix Hercules mactandis par eſſet. Prior illo occulto veneni ſibilo deſeviens, mittit poſteriorem ad alias noxas. Multum hic acerbi Viro bono, ſed non abeſt ſolatium à Deo, cujus ope dura mollit, anguſta laxat, & graviora ſcitè ferendo minùs premitur: & dum videtur infirmari, potentior eſt, proximuſque præmio. Mali non metuunt iſtas peſtes, ſed fortunæ foti gremio, ſtant altius; & circumſaliente fœlicium ſcelerum turbâ perturpitudinem ſplendent. Aſt excelſa iſta prærupta ſunt, & in graviorem lapſum lubricantur. Hæc bonorum & malorum differentia. Et quo id fiat luculentius, utroſque in ſcœnam producam, animadvertes, quos conclamatæ ſalutis, & quos optatæ beatitatis ſuâ mundus æſtimat trutinâ, à Deo parari miſeriis ad verum bonum bonos: & falſis bonis ad miſerias, malos. Ad utramque ſortem humana ſtupet ratio. Cujus enim mali bonus immunis eſt? Queis non bonis faſtuo-

ſtuoſus malus? Aſt ora modò tenemus intenti; prodit ecce Vir bonus rerum divinarum, humanarumque ſcientiâ clarus, conſilio potens, & armis inclytus, omnigenâ virtute cælo, & cunctis bonis charum caput. In uno plures vario modo bonos repreſento: quia boni, cum numero ſint pauci, facilius in unam perſonam coëunt. Et quoniam ij impleto fati munere loqui deſiërunt, fandi vices ſtylus, deſcriptione unius, quaſi viventis, ſubibit.

Hic Vir non ambitiosè deſcendit in campum martium, ſed animi ſui dotes Regi, & populo modeſtus offert. Si pro republica militavit, vulnera accepit, & captivi paſſus injurias licebat apud Romanos cicatrices oſtendere, & cruorem in ſalutem populi effuſum commemorare: ſuadere, rogare, & monere, nè tam magnum meritum repulsâ vileſcens generoſos animos reddat degeneres. In hoc campo videre eſt tot Cōpetitores candidâ veſte ad cives facundos, ut in totum ſpatium Alpes puriores ſuas nives vento tranſvexiſſe putares. Cogita quonam modo Vir noſter inter tot veſte niveos, animo autem atratos verſetur. Quantò melior, tantò aliis exoſior. Ea tamen

competitorum est in fronte humanitas, ut se postponi non ægrè dicant; si tanta Viri virtus debita dignitate pensetur. Intereà secreto astu virum discerpunt calumniis. Nec satis hoc; totam curiam & urbem odiis incendunt, Tullij, vel alterius Oratoris virulentâ oratione in innocentiam emptâ.

Ad dignitatis autem fastigium infulis, verbenisque, vel togâ, vel sago nobile evectus, licèt intaminato fulgeat honore, quot tamen telis petitur? Sit alter Aaron, & Moyses vigil, & fidelis gregis sui Pastor, noctuque diuque mentem sacret Deo; exactâ frugalitatis lege in mores redactâ, & veritate facem intus illi claram allucente dignoscat, quodcumque mendosum sub ærato timuit auro: cunctis aperto lare amicus, & benignus, plena laxans granaria in pauperum sinus œconomicè, nè quod multis erogandum est, ejus nimia effusione abundent pauci: sit nummi qui lutelet contemptor, totusque honesto incoctus secum habitet, amans aureæ mediocritatis, & residui largus in egenos: virtus nihilominùs invidiosa est & passim irrisorum pinsentes tergum ciconias non videt quidem, quia janus non est, sed sentit. Nihil tam rectè dicit, quod

non

non ſimultas alio rapiat, aut contumelioſo populi vitioſioris percellatur obloquio. Nihil tam æquum judicando diſcernit, quod non iniquitatis convicio verberetur. Quod in bello, aut procerum conſilio, dum Æneas ignarus abeſt, & rebus turbatis noxia eſt mora, prudentiſſimè conſulit, ordinat jubet, exequitur, ſi ſucceſſus non reſpondeat exſpectationi, damnatur vel imprudentiæ vel actionis infidæ, nonnumquam uſurpatæ majeſtatis, adornato in pretium boni animi triſti carcere. Cogitandum fuerat res bello varias eſſe, nunc uni, nunc alteri lœtas: & bona conſilia interdum fatis impediri: ſed infœlix eventus in crimine eſt apud eos, quorum animus ineſtuat odiis,& ſumptæ vindictæ occaſio, ſuprema Tiberij, Caij, Claudij, Neronis authoritate defenditur. Sub iſtis nulli licuit eſſe bono & pio extrà necis periculum. Da illi in publico munere collegam ambitioſum, improbum,ac potentiorem, quidquid celebrius fecerit, aut impenderit, totum in collegæ laudem & famam tranſit, diceres Julij Cæſaris & Bibuli conſulatum.

CAPUT II.

Quemadmodum Vir bonæ Mentis Theologus, Iuris-Consultus, Poëta, Miles calumniis exerceatur, & fatigetur, latoir demonstratio.

EXplicatius dicam; Vir noster Theologiâ magnus, vitæ probitate celebris, pietate in Deum, & hominem notus singulari ad purpuram commendatur; quid fit? Ex templo nigrum morsum proritat comendatio. Nusquam tuta pietas. Quod nuptas, viduas, innuptasque immitioris fortunæ flatu mediis expositas in undis, & ipsâ Pallide castiores castissima consolatione permulseat dextrâ pariter munificus, officium tam pium lascivo Martis & Veneris susurro, & comparato ad rem turpem præludio notatur. Totus animo vectus super æthera, divinis latentia arcana verbis studiosius rimatur, & doctius in lucem eruit, pestilentes opinionum sentes averuncando, quo veritas magis in altum surgens, suavissimo flore cunctis allubescat. Ecquod præmium? Suspicionem pravi dogmatis habeat labor & sublimitas, pyræ propriores, quam py-
ra-

ramidi. Cùm parcius victitat, quo largius in egenos exundet, injurium avari nomen patitur, quidquid Viri tam probi meritis imminuendis orcus poteſt efflare, in malignum honoris opicem exaggeratur. Jacet Vir ſacer ſe ſolo innocentiæ quietus teſte.

Intereà tantæ ſtragis gaudio ſinum ſuum implens calumnia umbratica declamatione, quia palàm videri non vult nocere, Virum irridet; i nunc, ait, & infauſto virtutis clivo fortiter imprime veſtigium. Quantò aſcenderis altius, tantò magis in ſcopum arcus mei patebis. Apicem non attinges ſine me. Fuge ſuper nubes, aut fulmina, non tamen effugies meà. Velocius aquilæ pennis ad aſtra vehare, tecum iſtis inſidebo remigiis. Nuſquam abero. Te vel in ipſo maris profundo, toto tectum elemento mea reperiet, fœdabitque ſugillatio; neſcis quod totum orbem invaſerim, habitemque intimas peſſimæ naturæ medullas? Nec vitiis, ſed moribus adſcribar? Quid non poteſt mendacium, & invidia? His parentibus orta in malignæ ſinum curioſitatis meæ nutricis cadens non vagio, ſed linguâ triſulcâ ſibilans paratum in morſu virus habeo, minorque dente probis fa-

tum. Quorſum te tanta virtute fatigas? Tanto ſtudio maceras? Commodius erat Theologicum ingenij tormentum defugiſſe: & latium ex alpinis jugis eminus ſalutaſſe, indeque paucis verbis à paſtorum, bubulcorumque ruditate pecora ad montanas radices paſcentium, & inter ruſticas nymphas laſcivius cantantium perceptis quid tullianum inter Barbaros ſpumare: & nè deſit titulus à Cæſare Juſtiniano mercari aliquod regulas juris: quarum faſtu ad plebis admirationem tumidus pallidis illis viris ægro minervam, quotidiè cerebro parturientibus Tiaras preripuiſſes. Tunc in hoc venerabili poſitus loco poteras ſtatuam agere: & gravi ad pietatem, ſanctitatemque compoſito flagitioſos mores premere publicè: laxare privatim, clam teſtibus in lætiora, quæ venter benè fartus ſuadet: ac poſt has delicias, reliquum lucis reſonanti teſſeris fritillo injicere: & quo magis à curis liber ſis, cognoſcendi provinciam de rebus æthereis, & ſtygiis ex mare C. Cæſaris libertis committere. Non ſenſiſſes nuptis, viduiſque egenis pietate ſolatij, conſilij, & beneficij impertitâ, te fluxo fieri eviratiorem ſpadone. Quare injurius eras naturæ? Illarum uſus debuit eſſe voluptarius.

rius. Nusquam facilius Catillus metam invenisses. Palatia erant cogitanda. Deërat locus? Lite viduas & pupillos expulisses: quia tibi militassent Servius & Labeo. Præierat exemplo Rex Achab, & in aliis vidisti tristioris iniquitatis impudentiam. Impune decessoris tui fidem rescindis. Si modò tibi bene sit, totum fæmineis lamentis remugiat cælum. Æneæ ad meliora fata vocato Didonis lachrymę volvebantur inanes. Vita brevis est, si lœtus eâ fruaris, longa satis est. Da, Deæque marcescentes tristibus rident annos: lœtis virides, & floridos laudant. Virtutes nisi cum re, viliores algâ. Quâ juvat, eundum est. Ovasses jam pridem, si vitiis uti novisses. Ast obstinasti animum in damnoso veri & pietatis studio. En jaces meo telo miser: & nequicquam ingemis Lex *Remmia dormis?*

Si audiat ista Vir noster, non gemet, nec fremet. Novit sapientiæ studio sannas & pejora adhærere: habebit tamen quod respondeat, si silere non deceat. Non jaceo, inquiet, nec mihi lege Romanorum ullâ opus. Insulæ, Tiaræ, & longa monilia collo pendentia, & quidquid prætiosioris est amictus, & pedum illud incurvo degener obryzo, quæ vulgus in-

ſanum miratur, & amat, non ſunt meæ poteſtatis, alienæ ſunt. Summum Imperium in iſta tibi eſto. Quæ verò mea ſunt, ea animi ſunt, & à Deo, & interno præſidio invicta. In iſta nihil potes. Falleris, ſi putes me vulnerari conviciantis opprobrio, aut exiſtimare malos tuos ſanari præconia laudantis. Conatu vales, non viribus. Periiſſem, fateor, ſi nequitiæ tuæ adſtaret potentia, & quidquid cupis, prævaleret. Athenis vitio verſum, contumeliæ, & impudentiæ aras fumaſſe: tibi autem nulla gens, vel maximè Barbara & fera uſpiam pingues adolevit verbenas, thuraque maſcula, innato pudore tam nefanda execrãte ſacra. Calumniare quantùm libuerit, te fœdo tandem manifeſtabis ore, cedeſque ad tuos tergo ſtigmoſo. Quid voluptates elegantiores, & otioſas alearum manus, ſacrique muneris vacationes in delicium extollis? Habe tibi, tuæque infami turbæ tam abominanda. Sordes & fæces iſta ſunt. Chriſtus mihi ſolus in pretio. Abi calumnia & majus aliquid age, te dignum, quod ego animoſus frangam: indeque triumpho, non onatu in cæleſte capitolium victor invehar.

Videamus fortunam Juriſconſulti. Si grandi

grandi juris prudentiæ elucescat jubare, hacq; multis annorum curriculis exercitâ ipsam Astræam in clientum fidele patrocinium cælo duxerit: aut Ecdicus plebis causas adversus optimatum injurias fortiter defenderit: illique candidorum judicio & votis dignus decernatur honos; quantis odiis intrà repagula ceu jumentum ligatus, servatur forensi arenæ perpetuus pugnator! mitius cum æquo agitur.

Spatio qui sæpè supremo *Ennius.*
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Causa subest. Qui Cęsaris adstant solio mētionem tanti Viri amoliuntur, veriti, nè illi in ullum honorem sublato declivior foret cursus ad cætera, facilius crescente dignitate, quam incipiente: & nè, quod multum metuant, probitas Herculeo robore feriat Hydram in lerna. Benigniore autem fato eum in priomorem fessum adducente, audies palam, bonum factum. De sella, ac tribunali justa pronuntiantem laudabunt etiam pessimi, uti nemesi in sceleratos exigenti judicia sedulò parentem: ac passim tuba encomiis sonora toto celebrabit foro. Benè hactenùs. At tantò invida bono calumnia parat arma. Nec suos justè damnatos calumniatores mori sinit inultos. Quid fit? Primò post judica-

catum lamentis, & injuriis privatim itur in judicem. Exin per vicinales in publicas perrepente vias questu, occultas illa pestis quærit vires, conscriptisque in copiosum agmen malignorum animis fatur audentius. Et quia facilè credunt mali, quod de bonis spargitur malum, Judex justissimus fit reus læsæ justitiæ. Hîc probitas, & peritia vapulant; illa odij, amicitiæ, & avaritiæ infamiâ; hæc imperitiæ: nec est qui in probi, doctique judicis vindictam exurgat, omnibus, ad quos ea res pertinet, ex privatis simultatibus, in malevolum fluentibus affectum, certè Reipublicæ exitialem: cujus imprimis interest publicam authoritatem privatis odiis non collabescere. Alexander Severus gesturos, non gerentes magistratum permittebat in albo omnium accusationi, iste cum Cæsare extinctus est mos. Quid probo judici relinquitur? Extrà se nihil. In se habet, quo Calumniam convincat, scilicet rectè facti conscientiam.

Plures alias in eo scientias admiraris? Ad earum numerum dentes acuit furia. Divinarum litterarum cognitione exornatus est, & præclarius quippiam edisserit? Fit suspectæ curiositatis. Philosophus est, & Ethicus? Sophista irridetur. Totam anti-

antiquitatem ex Hiſtoriarum monumentis hauſit, undè ſibi, & patriæ ſalubribus ſapit exemplis, & ſcitis? Audiet,

Turpe eſt difficiles habere nugas.

Pierio interdum ſpiritu incaleſcit? Reliquum accinitur,

Et ſtultus labor eſt ineptiarum:

Etiam tum, quando panegyrim Diis canit: quodque inhumanius, nonnumquam lapides operto capite fugit, quoties poeticè magis, quàm humanè loquitur. Utque teli conjecti vires evaſit, audit ab aliquo, quid iſto inſanis morbo? Per fidem, parce tibi, & tuorum miſerere. Entheata vatum pectora in periculum furunt. Antyceram Naviga, ibi extrà lapidum crudelitatem obliteſces tutius, & vives liberius. Quouſque te humani moris canem dici patieris? Qui magnis & vulgò placet, laudem ſapientiæ capit à multis, & aurâ navigat ſecurâ. Severior ſapientia ſuos perdit cultores. O verba plena inſipientiæ! hæc Vir bonus indignabundâ averſatur aure: ferit enim verſu, ut moneat, & emendet. Monentis animus numquam malus: ſed malus nolentis admoneri.

In Milite Viri boni conditionem ſpecta, & dole. Qualis ille? Forti pectore

& armis generosus: & in ipso armorum feroci horrore pius, & nulli, nisi hosti metuendus. Virtus hæc in damno est, calumniâ ad gregarios virum deprimente. Exulat virtus castris. Fides, & pietas ridiculæ sunt, & ad tutelas ablegantur. Ab hoc malo illud malum est, quod dum pugnando inter primos, civem letho subduxit, aut primus muros ascendit, aut hostium castra perfractis vallis irrupit, rediitque victor, tàm querneâ, quàm aureâ coronâ frustratur. Et hoc nonnumquam accidit ex inveterato imperantium odio, quo velut pestilenti afflatus sidere jacet Miles: tunc præsertim quando olim militasse Priamo in Danaos accusatus est Achæmenides pium invenit Æneam, qualem Teucrorum vix ullus reperisset in Agamemnone.

Quando autem Martiæ virtuti sua donatur adorea, cunctosque honore supereminet; quot occultæ invidorum insidiæ vigilant, & operosæ sunt in perniciem! ita semper cum Viro bono militiæ, domique claro actum, ut postquam Rex sine illo nihil magnum, multa verò ille sine Rege prospere, imò pectore suo regij tergi defensor gesserit, fœlicissimoque Regi omnia ad fortunæ suæ modum exigenti

sa-

satisfecerit, nunc Ducis, nunc Militis munia explicando, ubique acer consilio, manu strenuus, chorus Principibus, vulgò Militum acceptus, exitum Parmenionis, aut Clyti ab Alexandro exspectet: aut alio eum, quia fortè sit exterus, ableget invida calumnia, ubi inglorius moriatur. In Furio Camillo, & Africano superiore, quam indigna tulit Vir bonus! Illum, cui salutem & fœlicitatem debebat civitas immortalis meriti immemor jam filio dilectissimo orbatum non solatiis allevavit, sed duris, & ferreis sententiis in exilium protrusit: hic Rempublicam punicis bellis penè exsanguinem, atque morientem Africæ Dominam reddendo; quid tandem habuit premij? Calumniosam accusationem, urbis desertionem, & ignobilis vici, ac desertæ paludis habitationem. Voluntarij tamen exilij acerbitatem hac sepulchri inscriptione ultus est; *Ingrata patria nè ossa quidem mea habes.* Moderata herculè ultio. Cineres justè negati sunt ei, quam in cineres collabi non passa est Viri pietas. Posterioris Africani nec minor virtus, nec fœlicior finis: utriusque certè indignus splendore vitæ post tanta bella exhausta in æternum Romæ decus quæsito. At quam miser hic! illum domi vidit

dit Roma violenter extinctum, & sivit in foro tantum scelus impunitum. O ingratissimam urbem! pastoria illa civitas in ipsis incunabilis in cruentum scelus vagiit. Remi sanguine maduerunt mœnia. Romulum urbis parentem in curia discerptum, & sepulchro ignotum in cælum & numen fulmine disparuisse fama mentitâ est, & obortâ tempestate; solisque defectione consecrationis speciem præbentibus fidem meruit. Tali funere nobilitatum parricidium. Et utriusque fratris cruor æmulationum & simultatum fuit parens in posteris. Evidens sanè sceleris vindicta. Quantis animis & odiis dominationem aut affectârunt, aut invaserunt! hinc quanta regendi varietas secuta! dum enim alter alterius in Rempublicam merita odiosè elevat, sua commendat, nullius non pectus candidato sceptri spiritu habitante, Diisque in Voti prosperitatem semper vocatis, tandem occasio in Pompei, Cæsarisque tempus incidit; ultima hæc Romæ ætas nata sanguine seriem Cæsarum habuit sanguinariam, usque dum alias in oras translato Imperio, alius in locum successit, & ipse abiturus, si virtus abeat Cæterum ubique casum videmus luctuosum in bonis. Horrendum di-

ctu

ctu quod Imperatores, Ducesque exercitus, Milites que meliore ævo in salutem Reipublicæ impenso sua virtus perdiderit, potentiore, aut æquali aliorum fortunâ, quod cuilibet profuisse docuit, in odium vertente. Hæc merces vestra generosissimi Milites. Attamen amor in patriam, in parentes, in liberos, in cives præclarius aliquid post mortem parat, quo jam malorum ambitione & invidiâ mortuâ, & Reip. ingratitudine pudefacta, fluetis in omnem posteritatem admirandi, & laudabiles: pessimis autem illis indelebili infamiæ inusto stigmate, toti terrarum orbi notum fiet, quid inter virtutis & vitij sectatoris intersit. Nec urna vestra pulchriore titulo exornatur, quam boni Viri, in Deum, in patriam fidelibus armis pii. Hinc omne principium. Huc Militi referendus exitus.

CAPUT III.

Numquam perniciosiorem Calumniam esse; quam dum per Vestam Virum bonum, uti flagitiosum, aut Deorum, & Sacrorum irrisorem, deferri curat.

CAusarum calumniandi commento artificiosa calumnia est; quarum duæ sunt difficilioris dilutionis. Una quæ per Vestam crimen aliquod sive Cyprium, sive Thracium in Iunonis aurem immergit. Quantùm ibi pestilentiæ coit, & tandescit! follibus nimirùm inimicas auras accipientibus, & in bonum Virum, velut in ferrum, quod tenax medio in ignis tormento versat forceps, reddentibus. Tam Sacram Tyrannidem in se clarâ virtute lacessens fit apud improbos sine crimine criminosus. Nec quid Deam fecerit aversam assequitur victimis. Si demissa supplicatione Jovem adoret, eum quoque offendit offensum: nec mirum, conjugali namq; hęrens sinu ex amabili interfectione idem imbibit odium. Nîl Mercurius, nîl totus Helicon, nîl cætera indigitum turba in opem viri valet. Minerva cognita Viri integritate, audentius Jovem alloquebatur;

tur; quid aure minùs bibulâ maledicentiam hauris? Calumniæ neſcis ingenium? Illa malo ſemper eſt, & in optima ringit, ac peſſima quæque machinatur. Qui calumniæ favet, quantùm diſtat à calumniatore? Concilium omnium Deorum, Dearumque voca ſidercam in ſedem, ſingulosque per ſtygij caput implacabile fontis perrogato, ſi non Viri illius virtus omnium Deorumque, hominumque affectum & beneficientiam mereatur; & mereri clamabunt omnes. Cur te illum averſaris? Quâ æquitate innocentiam invidiæ, & mendacij ſugillationi non eripis? Num Veſtæ fides adeò tibi ſancta eſt, ut præjudicet verò? Hoc genus hominum ſicuti credulum eſt, ita mendaciſſimum, non tàm ſuo, quàm alieno aſtu. Nihil ex recente ſtatuendum rumore, cui plerumque impar eſt innocens. Non ego ita Vlyſſem meum à furiis Aiacis, aliiſque malis ſervavi, quam Vir ille ſe ab impuris Veneris, puerique dolis. Quî Mars ex Thracia quicquam atrocius afflaſſet tam candido Viri pectori, quem ſuaviſſimus muſarum chorus puerum lactavit, & juvenem aluit, & nunc ad omnis officij humanitatem aptatum experitur quidquid uſpiam ingenuorum eſt. Reſpondenti Jovi ſe viro

 nihil

nihil velle detractum, facilè credere quæ de ejus virtute & sapientiâ Viri cõsulares, & supremus Senatorum ordo prædicat, Dea ferventiùs instabat; itanè? Credis, quod facto non credis? Credas facto, quod temerè non credebas, quo bonus sis bono. Nimiâ credulitate in Junonem tuam laboris es. Miror illam furiatam olim tantùm à te & fratre tuo non potuisse consequi, ut Æneas in Italiam navigans ponto obrueretur mutato fatorum tuorum ordine. Video Calumniam in auribus tuis sedem fixisse quæ obstrepero bombo omnes aditus personans, arcet veritatem. Dextra geris sceptrum, quò illud? Ut bonos premas? Abi solio. Sed nec hæc Dea ratione quicquam efficit. Conclamatum est nisi fortè Themide in vices suas relictâ Jupiter cum Diis ad Æthiopas epulaturus se conferat, aut fratrem Erebi Regem aliâ regione salutet, & suaviter delibuti diutiùs immorentur convivio. Intereà temporis non rarò justa illa Dea in vitam blandè vestigat, & rata vile latentem virtutem; sed dignam conspici, ambit ultrò, Laurino honore. At rara hæc fœlicitas, ubique mendaciis, dolisque pharetratâ occurente, & incurrente Calumniâ, quæ etiam victa,

&

& absterſa linquit aliquid noxium. Nonnunquam tamen tota erubeſcit, quotus Vir bonus clandeſtino morſu ad ſenſum non admiſſo omnium ſententiis manet integer: & ex ſuperba Cæſareæ Majeſtatis munificentia ter geminis fulget honoribus, applaudente populo. Puta rem ita factam. Candidatū dignitatis ſonora baulantium turba circumſepſerat: ſacri & profani erant iſti canes, Cerbro, quo certius vincerent, ſpe offæ in peſtiferos latratus ſociato. Quid Vir ille? Frequenti repulſa, inviſus in opem innocentiæ Cæſarem appellavit, magnaque ratione in benignius ejus animum mutante, longi laboris pretium in apertiſſimum virtutis argumentum adeptus eſt. Obmutuit hîc Calumnia: & nemo voluit videri Calumniatus. Hunc victorem honore ſublimen omnes nudo & in terram ruente capite venerantur admiranda officiorum varietate profuſi. Sic ex calumniatoribus ſubitò fiunt adulatores.

Altera eſt, quæ improbæ delationi numen aliquod prætendit læſum: ſubit enim animos timor, nè incredulitate juris aliquid divini violetur. Vide quam ridicula pro crimine clam deferat, & ſtultas hominum mentes in ultionem armet. In fa-

no si pepederit; O grande nefas! pestilentis venti reus est. Si ad Jovis statuam minxerit imprudens, fulmen timet: si fabulosas de novis Divis affirmationes rideat, sive Julij Astrum, postquam ultore Bruti & Cassij pugione mortalis esse desiit, in Venerem peccat: sive Numerio Attico Senatori ad magnum pretium juranti Augustum vidisse in cælum ascendentem non credat, nec recens divinitatis insigne adoret. Ocyusque simulacri jaceret genua, periculosam liviæ lacessit indignationem. Quid continget, si Proculi Romulum, ad Deos isse asseverantis fidem elevet? Capitale est. Quod si cum Varrone Cynico audeat sordidissimos Deos dicere, quia in jecorum & viscerum sterculinio sua occultent consilia hominibus ab insanis sacerdotibus manifestanda, moriendum est, ut corporis exhæres Jovi sistatur, & ibi arcana in animalium intestina videat mittentem, qui totus latuit bove. Sin autem Deos neget, unum asserens: aut in contumeliam Deorum, quercum & hircum, & canem dejeret, perit cum Socrate. Verum auream Socratis imaginem post iniqua judicia veritas templo posuit, quæ unius Dei testimonio in ludibrium multorum coruscaret. Minor impunitam An-

Antisthenis licentiam, mendicantibus Metragyrtis intrepidè dicentis, non alo matrem Deorum, quam Dii alunt. Olim apud Romanos, & Græcos Rei tam stultæ delatio valebat plurimum: & multos perdidit antè defensionem.

Clem. Alex. in orat. ad gentes.

CAPUT IV.

Calumniam hoc agere, ut Vir Bonus potentiorum contumeliis & atrocioribus injuriis fiat obnoxius.

Tanta fuit olim Cæsarum divinæ Majestatis ambitio, ut etiam vivi voluerint haberi Dii, tametsi nondum ad nectar & Ambrosiam invitati. Et eorum alios Roma adulatorio vehemens affectu, alias metu ad officii signa humiliato, ut Divos reverita est, in paucis virtutem experta. Quos autem affectatæ divinitatis opinio efferebat supra humanam conditionem, arbitrati sunt superbia, & atrocitate fieri Joves, malè Jovem suum æmulantes, qui tàm serenitate benignitatem, quàm tempestate & fulmine severitatem terris ostendit, utramque ad meriti mo-

dum & rationem. Illorum errores & flagitia videns non videbat, quisquis cavebat exitium: omnem enim censuram super eminentes justi atque injusti discrimen infrà se habebant: solâ voluntate sapientiores fræni nesciâ ludente in sceptro: undè prona ad contumeliam, & crudelitatem dominatio. Quod boni hoc senserunt! nomina non recenseo: occurrent sceleratam antiquitatem lecturis: unus in Latio Catullus antè alios fœlix, quem jambi in Julium Cæsarem & Mamurram scripti cœnæ Cæsareæ honore non privarunt, nullum mordacis ausi supplicium timentem. Attellanæ poëtam Cajus Cæsar Caligula ob ambigui joci versiculum, mediâ amphiteatri arenâ, igni cremavit. Tanti referebat, in quæ tempora incideras.

Non minorem Resp. Romana antè Cæsareum Imperium vidit & sensit immanitatem. Respice ad Marij, & Sillæ tempora, habent ferarum laminas, non hominum bella. Enarrari nequit quod bonos istorum rabies victoriâ per totius Senatus viscera, populique atrociùs & cruentiùs grassante dederit nefandæ neci. Sæviebant odia usque dum deëssent, qui truci darentur, nimirùm semel omnia

vi-

victore jubente. A nullo revocavit pietas ferrum. Templa madebant cæde. Nulli ætas sua sive infanti, sive seni profuit. Satis erat posse mori. Et virtus in justiores partes deflexa, quemque fecerat nocentem. Ab invidia rebus altissimis adhærente per calumniam, & honorum ambitionem ad injuriam progressa horror iste cruentus. Nec miror: hinc enim est, quod orbis terrarum tres potentissimas Monarchias armis in Romanam vidit contractas: ejusque superbum diu perpessus Imperium, nunc vix umbram à paucis rudderibus projici. Humanitùs loquor. Dei est transferre regna, & mala hominum voluntate ut in regnorum eversionem: in qua boni permisti malis pari malo ęquabantur.

Quid multa? Cujusque ævi perspice scelera. Nullum in bonos non fuit exemplo sævum. Linquo homines. Quod non Dei filius passus est nefas? Res nota est fastis. Illum majestatis suæ gloriâ paulum cælo sequestratâ fatalis amor nostri induit homine. At paucis gratus, gratus fuit: omnibus ferè invisus. Quibus enim non furiis debacchata in eum est Gens Hebræa? Jam puero paucis horis nato necem machinabatur: Ætate major multifariis se

Deum ſoſpitatorem teſtatus miraculis,poſt infanda tormentorum ludibria, affectus & beneficii pœnam in cruce luit. Et nè hic quoq; malus deſineret eſſe bonus, humanam cruore noxam eluit. Quid non immanitatis in Apoſtolici Senatus proceres, poſteroſque excogitatum? Indies videre erat miſeras carnificum virgas in tergo inſontis mori. Secures gladioſve continuis ictibus hebitari, & diſſilire: integras ſylvas montibus in cruces,& pyras deſcendere,ac vaſta roborum ſtrage ſuppliciis vix ſufficere: Beſtias Chriſtianæ carnis ſaturas, tàm frequentis eſcæ nauſeâ intrà caveas morari: extrà oppida in feralibus campis, montiumque jugis, & vallibus innumeros occidi, & linqui inhumatos: Lupos, Urſos, Leones relictis latebris tabem cruentæ cædis oderatos ad ſanioſa & tabentia hæc bibula accurrere: Vullereſque, & quidquid ſagaci nare ſentit inſanum aëra, & cadaver ex nemore, ſylvarumque tectis eodem invitari: & ſic Martyres non totos ad oſſa pervenire, ſed deceptos in feras abiere: & reſiduum ſole, nimbiſque, ac longâ die reſolutum arvis miſceri. Deërant Tyrannidi pœnarum artes. Inferius miſit. Nec mora. Aliis ebullientis olei aheno læthum coqui: alios

ra-

radiis rotarum distringi. Alios ferreâ crate in omnem partem assari. Alios lento ignis incremento frustilatim torrescere, ac mortem per tarda flammæ vestigia æmulam, demùm in tostis cordis fibris inveniri. Aliis ad palum unco gutturi suffixo stantibus è lamina ardente picem, aut unguem in caput liquefieri, ut rivus humanæ pinguedinis lambentibus flammis fumosus mediam amphiteatri arenam lato sulco diducat. Non omnia pœnarum nomina percurram, si mihi vel centum forent linguæ. Cæterum ubi truculentiora illa cessant: miseriarum agmen claudit ingenua paupertas bonæ Mentis sotor.

——————— *Eheu*
Varro regustatum digito terebrare salinum *Persius.*
Contentus perages, si vivere cum Iove tendis.

Non omnia, quæ memoravi, mala glomerantur in uno. Et licèt divisa nonnunquam sæviant: pauci tamen sunt, qui non sub gravioribus gemant: & nisi spe in meliora penduli, nolent Pythagorici post mortem redire homines, sed vel æquius fortis, qui curatius habetur alio, vel canis velox, qui majoris prætij, quam projectus ingluvie, atque iners: vel generosus gallus, qui potior ignavo fruitur præcipua dape. Quid enim homo benè na-

natus, educatus probè, castè moratus, nisi fortunæ ludibrium? Aut certè Olor, qui rauco improborum Anserum clangore, Anatumq; obstrepera voce sub secretum umbrosæ ripe tegmen compulsus silet, ac demùm supremo proximus fato canit divinum melos? Nihil enim illi in vita superest honoris.

Menander. *Primas habet Adulator in vita: alteras Calumniator: at malignus tertias.*

CAPUT V.

In istis sævitiis, & contumeliis Virum bonæ Mentis præstare constantem ac lætum.

QUid animi Vir Dei habeat in istis tam horrendis? Magni constantis, & læti. Deo namque inhærens ea, quæ injuriæ sunt immanioris, & contumeliæ sunt insolentioris credit innexa providentiæ: & gaudet seriem tam sævam ordinari in summum bonum. Hyëmis rigor, & æstatis fervor molesti sunt corpori, toleratu tamen placidi: quia utriusque vicissitudo necessaria, & utilis. Eodem modo fortunæ injurias, & potentum tyrannidem fert moderatè: & adversus magnos rerum

rum circum se frementium motus rectos tenet oculos: divinæque virtutis inexpugnabilibus munimentis præcinctus infracto per tot humanos casus incedit animo: nec fugit onerato sinu, contentus vero bono, quod inter micantes hostium gladios rapacem non timet manus invectionem. Tantùm potest Mens plena Deo, ut etiam obruta vigeat, affectaque perfidiæ suppliciis non dejiciatur fastidio, sed supra pœnam suam consistat. Vincit in æquulæo. Vincit etiam in ipsis totum corpus circumeuntibus flammis: non duritie stoicâ eam obstinante, ast eam Deo stabile in modum librante, nè excurrat in luxum, dominationem, superbiam,& cætera, undè immoderati sibi lætitiam, & potentiam putant comparari: nec coartetur metu, merore, cupiditate, & aliis id genus sordidis, quibus homines miseros judicent etiam miseri. Ab hoc animi modo Vir noster omnia illa horrenda velut extra se horrentia præterit, aut reddit mansueta;velut ferarum domitor, qui eas nonnunquam pati cogit jugum, nonnunquam usq;in contubernium mitigatis manum insertat. Ecquid Dei prẹsidio non vincit? Deus patientiẹ & consolationis author, utramque per spiritum cordibus instillando

do omnipotens eſt in homine : atque omnia humanæ atrocitatis frangit, calcatque molimina.

Contumeliæ uti atrocioribus illis injuriis minoris facilior eſt contemptus : & ſpreta exoleſcit: bonam Mentem non ferit, nec lædit. Quî poſſet; verbis probroſis , ignominiis , & cæteris dehoneſtementis petulans , clamori hoſtium, & ſaxis circum galeam innoxiè crepantibus ſimilior, quam telis cominus ſtrictis in vulnus.

Lubens, inquies, iſtis ſapientiæ verbis aſſentior , quando defenſione potentior injuria, quæ hilari vultu ferenda. At quid ſi verbera, cuciatum, necem juſta impediat tutela ? Aliorum ferociæ ſuccumbendum ? Feros in nos ore minantes morten, incurrentes occidimus telo. Nihil differt ab illis injuriarum atrocitas. In illatas actionem Lex Cornelia de injuriis paravit: & Prætor in eum judicium dat, qui adverſus bonos mores convicium fecit. Ab æquitate hoc jus eſt. Non utetur illo ſapiens ? Utatur : qui periculum, quod poteſt cavere, non cavet, ſibi injurius eſt : & magis tentat Deum, quam ſperat in eo. Publica injuria vindicanda : quin etiam privata, ſi publicè interſit : ſi privatim

Auguſt. de Civit. Dei lib. 16. cap. 19.

tim tantùm levi manu abstergenda, nè silentio in consensum ducto, bonus etiam apud bonos periclitetur. Quis enim injuriâ loquente, alienæ tacentis certus semper innocentiæ? Respondendum igitur nonnunquam. Id factum à D. Salvatore. Tu huc Mentem adfer tranquillam, & bona erit imitatio. Turbida hîc peccat: quantùm enim distat ab ultione? Et hæc à contumeliâ? Hanc ab illa solus ordo distinguit. Magnum in latone exemplum: cui causam agenti, Lentulo homine factioso & impotente in frontem mediam, quantùm poterat attractâ pingui salivâ, inspuente, quid ab illo sapiente exspectas? Abstersit faciem, & affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Par in Aristide, aut verius Phocione (si Plutarcho credas) Athenis ad supplicium ducto Constantia; illi quovis occurente, & dejectis oculis ingemiscente, non tamquam in hominem justum; sed & ipsam justitiam animadverti, inventus est homo opicus, qui faciem ejus inspueret. Quid ille? Abstersâ facie subridens ait comitanti magistratui, admone istum, nè posteà tam improbè oscitet. Hoc fuit ipsi contumeli contumeliam facere. Usus verò Legis Corneliæ intrà pruden-

Seneca de ira lib. 3. cap. 38.

Seneca ad Helui. matrem. de Consol. c. 12.

dentem honoris defenſionem bonus eſt. Quamquam illa non uti in fori arena, ſi aliter honori queat Conſuli, ſit animi ſapientioris.

CAPUT VI.

In iſtis miſeriis an quiſquam dici poſsit Beatus?

VErum queſieris an quiſquam in hac miſeriarum theatro agat beatus? Agit certè; non impediente vitâ corporali, quin fide poſſideat cæleſtem. Hoc eſt quod dicit Apoſtolus.

Ad Epheſ. 2. 6. & 19. *Conſedere nos fecit in cæleſtibus: & jam non eſſe hoſpites, & advenas, ſed cives Sanctorum, & domeſticos Dei.* Non ſolùm quod illic ſit caput noſtrum: ſed etiam quod jure unitatis vitam in ipſo habeamus communem. Incrementis quidem hîc homo in perfectionem augeſcit, nam nemo citò fit beatiſſimus: quem tamen vera & conſtans fides inſerit Deo, ſpeique alacritate, & flagrantia charitatis aptat aſtris, beatum puta. Hujus fidei per ardua animosè, & irata fortuna, gradientis effectus eſt,

Mens

Mens bona, scilicet sana, libera, quieta, ac placida in actu cum humanitate multa, candore magno, & affectu in conversantes liberali, & gaudium intimum, immotumque expellente terrores cognitione veri. Christus nominabat: Beatos, quos homines maledictione & omni genere mali mentientes in terris persequerentur: orsum igitùr beatitudinis in mundo statuebat. Huc summa redit; solus sapiens beatus. Sapiens nemo dici potest extrà veritatem projectus. A Deo veritas; quin Deus ipsa Veritas est, undè vera sapientia, quæ beatitatis exorsam telam continuato staminè, & sublemine pertexit: tandem perfectè quando mortalitate liber animus plenè fruetur Deo.

CAPUT VII.

Vir bonæ Mentis fœlicior & extrà omne adversorum tormentum positus, quo sit animo ergà bonos infœliciores, & miseros.

Athletam vidimus in magnis, maximisque malis constantem, scilicet Pphiliosophum bonæ Mentis: sed quia in

unum collegi plures, & non omnium eadem ſors, unius in plano cruentis expoſita, alterius excelſa culmine nullum adverſis clivum demittente; quæſieris, quî nam ſe habeat hic ſecuro poſitus loco ad terrificum amici, & fratris ſui ſtatum? Aſpi. i nè ſaxeus? Aut torvus virilem ponens humi vultum clamabit,

Gaudet patientia duris.

Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtum? Aut non aliter cum calumina, injuria, crudeliſſimique lethi præludiis luctantem deſeret.

Quam ſi clientum longa negotia.
Dijudicatâ lite relinqueret?

Minimè: quia nec ſtoïco robori id probaretur. Pergo, non miſerabitur ingemiſcendo, condolendo, collacrimando? Non miſerebitur auxilio? Primum in vitio quidam poſuit, quaſi puſilli, minutique animi ad intuitum alieni mali collabentis: alterum virtutem eſtimat. Ego iſtam diſtinctionem à chriſtiana Philoſophia prorſus alienam judico, damno. Non mihi Zenon, non Cleanthes, non Chryſippus ad veritatem duces: ſed Chriſtus meus: illi in tenebris: hic Lux ipſa, quæ nobis tenebris illuxit. Hic infremuit Spiritu, dolorem lacrymis teſtatus. Flere vi-

Lipſ. de Conſtan. lib. 1. cap. 12.

ſus eſt, ridere nunquam. Inveniebat deflenda: cur riſiſſet, non invenit. Apage illos inhumanos, qui nè quidem miſericordiam inter virtutes receperunt. Qui gemitu, dolore, lacrymis miſeratur miſerum, non intrà lacrymas ſolum bonus eſt, ſed animo ad opem fertur. Quiſquis autem ſpecie tantum dolet, non dolet. Fictæ lacrymæ, & lamentationes ex non dolente pectore ad alienum malum ſtillantes, & ſtreperæ larva ſunt miſerationis, non miſeratio. Ridentur

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere Præficæ, *Lucilius apud Nonium Marcell.*
Multò & capillos ſcindunt, & clamant magis.

At injuſtè humaniſſimum affectum imbecillitate, & dejectione animi damnas, & à ſapiente ſpernendum eximis hominum conſortio. Noſtræ religionis ſapiens malit hic eſſe mollis, quàm rigidus.

Molliſſima corda. *Iuven. Saty. 15.*
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit. Hæc noſtri pars, optima ſenſus.
Naturæ imperio gememus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terrâ clauditur infans,
Aut minor igne rogi.

Homo vitam à fletu auſpicatur, & ille nati omen eſt. Nullum tot animalium

præter hominem ad vagitum & lacrymas in lucem prodit. Græcis Proverbium erat, bonos Viros lacrymabiles : malos illacrymabiles : ideoque Horatius Plutona vocat illacrymabilem. Verùm dum suspiria, dolorem , lamenta, & fletum non improbo, modum tamen excedi nolim : exceditur si in capillos, in genas, in pectus, in vestes furiosi insaniant ungues, turbidæque domum & æthera feriunt voces, stultique questus. Ad Archetypum Christum animus componendus, & in eo sapientissimum quidquid est suspiriorum, quidquid dolorum , quidquid lacrymarum moderamen habebunt.

Viden quid sapiant, qui plus ævi in Stoa, quam in Christo decurrerunt? Ego equidem sapientem miseratione, & misericordiâ veluti fragrantissimis virtutum floribus exorno : In ipso enim charitatis sinu bellè sororiantur : & velut ubera suavitatis plenissima tuberant in omnia, humanitatis officia : illa movet: hæc succurrit: illa affectu: hæc effectu. Utramque in Didone laudat Æneas.

Virg. 1. Æn. *O sola infandos Troiæ miserata labores*

En affectum miserantis.

Quæ nos relliquias Danaïum terræq; marisq;

Om-

Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos
Vrbe, domo ſocias;

En effectum miſerentis. Eâdem ratione David magnam miſericordiam multitudini miſerationum conjungit. Et alibi *Suavem*, dicit, *Dominum univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera.* Tu homo quis es, qui faſtuosè te indignum putas, quod Deo Optimo Maximo, glorioſiſſimè ad mortalium conſolationem & ſalutem non ignoras attribui? Prodeat ſapiens, qualem tu nobis commendas; aſpiciet aliena mala humanis oculis, ſed tamen rectis: adducto quodam vultu adſabitur, ſed non lugebri, aut dejecto. Solabitur fortiter, juvabit liberaliter. O Zenonem! ita definis miſericordiam, ut, illi miſeratione penitùs avulsâ, extinguas? Arbores ſine ſenſu liberales ſunt fructu. Illis da oculos, ſudatum miſeri coloni laborem aſpicient rectis. Perperam humanos in miſerente ponis, quos miſerans non aperit miſerenti: Et auſus es quærere quid in tua ſententia rigidum, & durum? Per Deum immortalem nîl niſi rigidum, & durum, bonæque naturæ inimicum. S. Paulus tibi unus inſtar ſit omnium. Vult hic Vir

Pſal. 50.
Pſal. 144.
Ad Roma. 12. 15.

Dei gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus. Veri amoris natura, quacumque incidente fortunâ, sensum alterius in se traducit. Condolescit rebus asperis. Prosperis gratulatur. Non condolescere inhumanitatis est: non gratulari invidiæ. Philippensibus flens scribebat, multos ambulare inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est. Paule nè fleas; censor adest præfractus & aheneus, inquiet, ubi invicta animi magnitudo? Ubi indefessa constantia? Cur lacrymis inanibus magnanimum pectus inundas? Dum fles, miserisnè, an miseraris? In miserente fletum non fero: In miserante rideo. Responde Paule; imò noli respondere. Nobis sufficit una sapientior Christi imitatio.

Nunc volupe erit spectare, qualem se Vir bonus in portu gerat. Deo stat, vivit, agit, & homini. In Deum ita transfertur, ut indè melior simul cum Deo eat ad hominem: & se, suaque, tametsi extrà fortunæ Imperium locata, tam boni Ducis arbitrio humanissimos in usus resignet. Stat nulli refugus. Vivit nulli non vividus ad omnia. Agit animo, & re: ubique utraque si possit: si non, facit animo, quod re non potest. Animi benignitas, non extrema in officiis est: apud Deum

sæpè

ſæpè pluris, quam res. Cùm valet auxilio, non Viri boni carcer, non vincula, non carnifex, non mors minuunt auxiliarem generoſitatem. Multò minùs deſinit idem eſſe, quando amicum ſive regno, ſive bonis privatis videt everti: injuriam, quo poteſt modo revincit. Calumniam publicè, & privatim reprimit: & id authoritate, vel ſtylo, & voce in patrocinium ferveſcente. Egenis corde, lare, penu apertum, lugenti lugubrem, lœto lœtum ex alto ſpectat Deus, ut in tam inſigni ſuo opere gloriatur. Non in hujus virtutis exempla diffundar, nè confundar copiis. Infinita ſunt, & omnium ora recenſendis minora. Habemus itaque virum etiam intuentem aliena tormenta laudabilem officio & beneficio: imò ipſis tormentis formidoloſum benignitatis conſtantiâ: quia adverſùs iſta hoſtilia Deus panopliam & victoriam dat: & nunquam vult videri ſuum victum, ſed viciſſe.



CAPUT VIII.

De malis fœlicibus.

ABiit Vir bonus, & Mentis bono beatum recepit æther, ſolo virtutis exemplo in hæreditatem poſteris relicto, quam pauci cernunt. Vitioſus enim animus intrà ſe metatur beatitatem, & illi pro commeatu ſunt Imperium, opes, libido: ferox & effrenis Jovem agit hominumque Deique contemptor. At jam verſa ſcena eſt. Non prodibant, quales nunc producit tellus: nam ſicut priorum ætatum virtus minori invidiâ prædicatur. Ita vitium notatur ſecurius. Viden improbam ex Orco hic prodeuntem turbam? Quam ſuperbo ſalit in publicum gradu! quam tota fœlix! nullo calumniæ morſu ſaucia venditat integritatem. Quippè ni? Quis enim malum feriet? Bonus illum prætererit. Nec malo hic malus: quin ſuam in alio gaudet improbitatem ad rerum culmina creviſſe: & animoſior in ſimilem ſpe vehitur proſperitatem. Verùm tantus malorum numerus, oculis obvolvitur tàm ex Græciæ, Latiique vetuſtate denſus, quàm nequioris poſteritatis vitio monſtro-

 105

ſtroſus. Ut niſi crebrâ moleſtus ſis interrogatione, ſingulos nequaquam internoſcas: ſed ego eam antevertam documento.

Primi, qui ſint, ſceptro & vultu ſeſe produnt. Illos habuit Aſſyria, Nini ſcilicet nepotes, qui parentum elaborato contenti Imperio, & depoſitis belli ſtudiis in fæminarum turbâ conſeneſcebant: & nè in delicioſo turbarentur otio, gloriæ erat, reſponſa gentibus per internuncios dare. Horum poſtremum cerne Sardanapalum omni muliere comptiorem, ut inter ſcortorum greges purpuram coloneat, & molitia corporis, & oculorum laſcivia virginibus penſa partiatur; virumque morte demùm maſcula teſtatus, ſe ſuaſque divitias in pyram incenſam mittat, nè ſucceſſionem Arbacto linquat opulentam: nevè regiis ſpoliis, ab Aſſyriis ad Medos Regno tranſlato, hoſtis glorietur. Mali vitam judicabunt beatam, molliſſimè vixiſſe, & fortiter mori in odium hoſtis: quod & is, inter alios, ſit non illaudatus vincendi modus.

Non horreſcis ad proximos? Nerones ſunt! O belluas, & orbis monſtra! videri tamen poterant in tanto fortunæ triumpho fœlices, & probi rutilo nimirùm diadematis jubare majores jacente umbras in ſce-

ſcelerum noctem: ſolâ morte miſeri, quam tamen non timuerunt, & nihil eam ultrà exſpectabant, ſummum Bonum arbitrati cunctis mortalibus fuiſſe terrori, obliti feræ, non dico furociſſimæ, quin etiam ignaviſſimæ telum eſſe, timeri ob virus. Interim in illis vices magni boni voluptas, libido, & crudelitas habuerunt, quis ab immani Tiberij, Caligulæ, Claudi, aliorumque dominatione fatalem ſeneſcentis Imperij caſum non eſt ominatus? Quantùm unus Nero, Claudius Seneca magnus inter Stoicos in Neroniana morte laudaſſet conſtantiam, & dixiſſet, ſibi liquere cum gaudio ſpectaſſet Deos, cùm jam impendente decretæ pœnæ contumelia aciem pugionis tentat, & ſe ſegnius ea utentem increpat: *Turpiter vivo. Non decet Neronem, non decet. Vigilandum eſt: age, excita te ipſum*: Cùm tandem acerrimus ſui vindex in ſe trepidam adſtantium animat manum: cum ipſe cæteris animoſior jugulo ferrum adigit: & illam ſceleratiſſimam animam educit. Quid ni libenter ſpectaſſent Dij religionum contemptorem tam memorabili exitu evadentem? Certè Dea Syria urinæ contaminata, & olida injuria riſit & probavit violentam hanc ſcelerum deſertionem. Et quod fœlicitatem con-

consummat, post illam moriendi libertatem Persæ, missis ad Senatum Legatis, orarunt, ut constructo monumento memoria Cæsaris colleretur: Persarum enim flagitiosum cum matre congressus morem imitatus meruit post fata Persicum hunc apparatum. Nec defuerunt, qui vernis æstivisque floribus tumulum ornarunt, veneream vientes corollam: & modò imaginibus pretextatis ad rostra perlatis, modò edictis, quasi viventis, & brevi in magnum inimicorum malum reversuri. Et fabula fidem apud Christianos invenit, illum non occisum, sed ereptum morti, in montibus Caspiis, forsan cum sporo ludere inter feras, vel occisum resurrecturum Antichristum in Romæ excidium, & Sanctorum internecionem. O quanta sceleris gloria! tanti est exuto nefandæ vitæ cothurno sibi fuisse. Lictorem. Gaudete Dii, scelus periit: plaudite Stoici, Alumnus vester fecit fortiter.

Alios Roma improbos aluit, Imperium anhelantes, quibus evenit optimè. Ferax vitij fuit semper magna illa civitas. A magno hominum confluxu hoc malum. Obstupesce ad Marium perfidiosissimum mortalium! hic senex domi suæ fœliciter septimum Consul decessit. Qualis tibi

Cyn-

Cynna? Crudelissimus regnavit: & licet ortâ seditione, ab exercitu interemptus sit: in eo tamen fœlix, quod iracundiâ militum, & non arbitrio victoris finiverit dominationem. Plena fœlicitas est, si quam ambiebas, potiaris rerum summâ: usus illius, sive longior, sive brevioris sit, à fato est. Juvat fuisse, quod volebas: & solâ morte desiisse, quod fueras. Diogenes Cynicus dicebat Harpalum omnium prædonum fœlicissimum contra Deos dicere testimonium. Quid non de isto ferarum genere judicasset?

Heus Dionisij Italico proximè solo, quid te turbæ subducis? Scio; non vis sceleratissimæ vitæ memoriam hac renovare scœnâ. Verum adsis Tyranne opulentissimæ, & beatissimæ civitatis. Crudelia non referam facinora: sed in Deos non injucundam audaciam, quando Jovi Olympio aureum magno pondere detrahebas amiculum. Laneo illi pallio injecto, facetè cavillatus id esse, ad omni anni tempus, aptius: Æsculapio barbam auream quod patris imberbis foret filius: Deorum simulacris victoriolas aureas, & pateras, coronasque, quas porrectis manibus sustinebant, ratus eas non auferre, sed accipere: & stultum esse, à porrigentibus nolle

nolle ſumere, à quibus bona precaremur: in tuta ſcelerum libertate fœlix eras, nec cælo tonantem metuebas Jovem, nec fulminantem ſenſiſti. Quin, fano Proſerpinæ Locris expilato, navigans ſecundiſſimo vento Syracuſas videtiſnè, medio aiebas pelago, amici, quam bona à Diis immortalibus navigatio ſacrilegis detur. Non te miſero, diuturnoque morbo extabeſecit Æſculapius. Nec Apollo lethiferâ contumeliam filij ultus eſt ſagittâ: at in lectulo ſuaviter mortuus poteſtatem, quam per ſcelus fueras nactus, quaſi juſtam & legitimam, filio tradebas.

Proximos uno verbo habeto; regij quoque ſunt nomen ab effectis conjicies. Illi fide, & Deo regnandi cauſâ, violatis immanem alibi Teutatem, & Heſum feris altaribus horrentes, alibi latialem Jovem, & Saturnum humanâ placabant hoſtiâ pro occupatis per ſanguinarium nefas, & ad nepotes ſceptris tranſmittendis. En regius infeſtos Deos, & litantium ſacrilegam pietatem. Sic multorum ſanguis paucorum ambitioni fuſus concrevit in majeſtatem, & nefandus Numinum cultus populo imponebat. Vos Reſpublicæ teſtes eſtis. Hominum æqualitas nunquam diu ſtetit. Et rarò æviterna unius dominatio.

natio. Vtriusque mutatio cruenta. Quisque regere non regi vult. Dum manu nequit; animo facit. Detur occasio, erumpit aut scelus, aut virtus in sceptra. Neutrum fœlix, ut plurimirum sine sanguine semper sunt qui nec primum, nec parem ferunt: solâ fortunæ invidiâ premunt regnum sub pectore.

Umbrarum nullus ordo: Romanis miscentur Græci, nolunt nosci: ut quemque igitùr oculus apprehenderit, describam. Cleon Atheniensium, & Brasidas Lacedemoniensium Duces quam torvo sese invicem figunt lumine! uterque pacis odio, & dissuasione impius. Brasidam belli peritia, & prosperitas majorum honorum ambitione incendebant. Cleon ratus, in civitatis quiete, scelera sua committenda fore manifestiora, & sibi minus fidei in obtrectando, Legatos Lacedemoniorum è Senatu magnis vociferationibus expulit. Hic homo ex Coriario natus, & ipse Coriarius quam fastuosè Niciæ, & Demosthenì ob præceptam belli gloriam, & victoriæ laudem, insultavit! Rempublicam penè unus, & solus tenebat, agens pro arbitrio raptim omnia, atque turbatè. Lepidè in illum Aristophanes sub nomine Paphlagonis;

Thucidi. Hist. lib. 5.

Sed

Sed ut Paphlagonem res lateat, fieri haud potest *Arist. in equit.*
Ipsus enim dispicit omnia. Nam pedem alterum
Habet in pylo fixum, alterum tenet in foro.
Et cum tam latis ingrediatur passibus,
Podex reapse illi est Hiantia: manus
Vtraq; Petilia, Mens in Clepidum tribu.

Coriarium istum bello flagrante fortunatum putasses: nam Athenis à nullo scelerum abstinuit ausu. Rapto, peculatu, stupris, adulteriis, impunè potens, se Jovi parem existimabat. Atque adeò infami inhians lucro, ut Virginis, matronæ & viduæ, preces flagitio moratus, exacto demùm annueret pretio. Et nisi in Amphobilitana cecidisset pugna, tota Respublica unius isset in viscera. Bono fato uterque Dux occubuit, Cleon fugiens, Brasidas victor: & utriusque lætho bellum finiit in pacem. Ambo fœlices; illum mors Ducem invenit in prœlio, quem longior vita vidisset privatum in Corio: huic Amphipolitani tamquam Heroi magnificè parentarunt fano dedicato, & anniversaliis sacrificiis, aliisque honoribus tributis.

Nigramus Principes improbè fortunatos. Ibo ad alios feroces in minori dignitate regnandi animos efflantes. Cleoni

ni qui proprius adſtant, vis ſcire qui ſint? Eos velut ex Cleoneo natis cinere, cives aliis in regnis, & Rebus publicis experti ſunt,minores Paphlagones. omina dabunt hiſtoriæ. Ex infima plebis ſece ad primos honores inimica populo ſors evexit at belli, paciſque tempore à magno ſuo munere, quo nihil prius eſſe debuerat, erant alieniſſimi. Riſiſſes Anticyra reverſos. Raro ſermone, & breviore coma in Deorum delubris, & curiis Curios ſimulabant, domi Bacchanalia viventes. Alienas uxores res ſuas commendantes in prædam libidinis arbitrati. Quàm blando enim vultu illis in pene trale vocatis obvij! quæ non per rimam improbè diductam vidiſſes! petitis impetratis hilares ac neſcio qua dulcedine permulſas, mariti recipiebant. Si repugnaſſent non oblitæ pudoris, conjugaliſque fidei, ſupercilio fulmineo, ſubter ſtillantibus oculis, feriebantur attonitæ. Nihilominùs tamen impuram caſto abitu linquentes domum, malebant in poſterum abeſſe, & odio exponi, quàm in tam impia dantis vota ſupinari. Quid cætera dicam? Nihil ab iſtis probitas ſe dignum exſpectabat: ſinceris erant ſuavi ſermone doloſi. Doctis ſecreto livore peſtiferi, & nunquam, niſi publico eos quantiente op-

opprobrio, boni: privatoſque ſuos obliti lares aliquid Diis proximum affectabant, fallaci regiminis honeſto in exitium virtutis obtruſo: uſque eo etiam magnâ fortunâ impotentes ſui, ut vix Julio Cæſari triumphanti & ſubſellia Tribunicia prætervehenti aſſurrexiſſent : quare nihil cuicquam promiſſum, niſi ſub exceptione, ſi tamen per Paphlagonem licuerit. Tandem totam hanc gentem avernus abſorbſit: & exoriente purioris juſtitiæ ſole rarò mundus de tali flagitio quiritat: niſi forſan aliquid ſimile ſub obſcura Luna patretur, dum homines, caneſque ſilent.

Ecce Narciſſum & Pallantem prodeuntes: illum Claudius ab Epiſtolis : hunc à rationibus habuit, decreto Senatus, non præmiis modo ingentibus, ſed & Quæſtoriis, Prætoriiſque ornamentis, donatos. Tanta utriuſq; acquirendi,& rapiendi fuit licentia, ut Cæſari quærenti de fiſci exiguitate reſponſum ſit, illum abundaturum, ſi à duobus libertis in conſortium reciperetur. An tibi non incutit horrorem monſtrum illud Tigillinus? Obſcuris parentibus, fœdâ pueritiâ, impudicâ ſenectâ, infamis præfecturam vigilum, & prætorij, aliaq; virtutũ prœmia vitiis adeptus,quam non crudelitatem corrupto ad omne faci-

nus Nerone, in Christianos, aliosque exercuit? fœlix quo ad vixit sibi videbatur: & ut in morte quoque voluptuosæ fœlicitatis sensu triumpharet, inter stupra concubinarum, & oscula, & deformes moras, sectis faucibus animam compendiosiori viâ ejecit in stygiam noctem. Illum, &Neronem verè dicit Tertullianus improbitatis abyssos, & nil nisi maximè bonum damnare potuisse.

Ternos pone sequentes, vulgus pædagogos Galbæ vocabat, erant T. Junius cupiditatis immensæ: Cornelius Laco arrogantiâ, socordiaque intollerabilis: Libertus Icelus annulis aureis, & Martiani cognomine ornatus. His diverso vitiorum genere grassantibus, se abutendum tradente Galbâ, dixisses tres pro uno regnasse Cæsares. Quo quid majus contulisset fortuna? Horum consilio jura trium liberorum vix uni atque alteri, ac nè his quidem nisi ad tempus, data. Judicibus æqua præcantibus non solum negata, sed etiam concessa à Claudio beneficia, erepta.

Istis se, aptè sociant verrini, in quibus æquè utile & gloriosum scelus: integris enim provinciis exhaustis, & sanguine miserorum pasti alios in cruentæ fœlicitatis exemplum lacessebant. Aliis in tantæ

fortunæ adorationem abreptis, nemo undè, vel quibus modis haberent quærebat: & si sciſſet obmuteſcebat querela. Tanti eſt habere. Redivivus Verres impunè graſſabatur. Poſtquam enim ſemel ora magnanimi Tullij in Roſtris jacuere, & vultus informes, manuſque inclytorum operum miniſtros, ac nefando cruore ſparſam canitiem furor Antonij deriſit, impio proculcans pede, non meruit ſceleratior poſteritas Oratorem, qui Cicerone tonet in malos. Ubique penè terrarum inveteravit opinio, Reipublicæ pernicioſa, pecunioſum hominem, quamvis ſit nocens, non damnari quo pendeat ad ventos, aut in Inſula pereat: ſed quo pendat ærario de raptis, quaſi de ſuis: qui tamen tàm ſuis, quàm alienis erat exuendus. Quid juris exſpectaſſes apud nummarium tribunal, quod auditâ utrimque licitatione videbas addici? Spoliati præter accuſationis invidiam, & ſumptuum acerbitatem retulerunt nihil, nequaquam triſti quærimoniâ, & ſanguineis lacrymis *Recuperatores* implorantes. Sic ſolùm judicio à rapinis publica diſcernebatur utilitas. Plures hoc modo pinguefacti tumuerunt titulo regij ſtemmatis ab ultimis terrarum oris quæſito. Invenit namque aurum mendaces, qui à

Diis suis homines tam longæ vetustatis affectatæ jurarent oriundos. Ambitio opibus annosa sibi fœlix non fuit visa, nisi ab omni antiquitate Cæsares & Reges in genus suum deduceret, emptis in rusticam nimirùm intercarpedinem lætheisque aquis. Non hic ridendum nec panos pœnales parentesque primis æquis salvo tergo memorasses.

Sine risu non demisero illis proximos Consules Romanos. Quam denso ordine obibant comitia! quam securè in Legem Juliam de ambitu committebant! & quia jusjurandum posteà in Legis cautionem inventum est, nè illud foret rei perdunde, manifestum, mente aliò errante, ejurabant ambitum. Huc non semper eodem ibant modo: sed ut posteriora tempora à primis differunt: ita & mores. Olim ignobilitate vestium affectatâ, multoque arrogantium fastu devorato, multisque calumniis in votorum causâ enitebantur, ab omni convivio, & libertatis, lœtitiæque fœlicitate exules. Post nullis non comessationibus congreges, & promissis grandiloqui, magno servorum numero stipati, vestiumque splendore totum Campum Martium perstringentes certius sibi lictorias spondebant secures. Hoc tamen sequens

quens ætas cum antiquitate commune habuit, quod atria matutinis ſalutationibus obſiderent: ad omnem occurſum cujuſque vel ſuffragio, vel potentiorum familiaritate valentis decreſcerent capite ad genua labente, ac voce in comendatitium tenuatâ ſuſpirium, totoque oculorum orbe in ſupplicem libellum volubili. Nè tamen id agere viderentur, quod agebant maximè, morâ colloquij captatâ, ſermonem per anfractus eò deducebant, ut majorum merita declamarent, ſcilicet excepta vulnera, ſuccisſos poplites, oculos impenſos pro libertate publicâ: in natis ſi non eadem exſtent exempla, animos tandem non deëſſe ad parem virtutem: patrios cineres præmium poſteris expoſcere. Mellitis tandem verborum globulis rogabant iſta, Regi pro liberorum Poſthumo ſolatio inſinuari. Nè verò ſine arte quid facerent Tullianum de petitione Conſulatus libellum ſinu circumferebant, quo labilem memoriam identidem ſuffulciant, aut petitionis errorem corrigant. His incommodis petitio ad unius anni volaticum gaudium emergebat: deìn ſordidum & infame lucrum emptura perjurio. Hoc Conſule calamitoſus decurrebat annus in faſtis: & quidquid antecedentis honeſta

parſimonia intulerat ærario, ſequentis furiosâ profuſione diffluxit in damna. Res quoque Sacræ profanam patiebantur manum.

Noſtin Proceres illos longo ſyrmate humum verrentes? Arcadia mittere ſolebat, qui in Tribunalibus, Prætoriis, & pro Roſtris inſulſum rudant, ac tandem emolumentis tumidi, feroceſque potentiâ rugiant Leones: in eo fœlices, quod ſine ratione imperantes ratiocinio fuerint exempti. Diis ſuppari majeſtate radiabant, nunc affectu iniquis benigni, nunc æquis odio noxij; quos faſtigio præcipitatos arator jugo Boüm non junxiſſet, nedùm illis crediddiſſet ſtivam. Atenim non adeò ſtolidi fuerunt, quin difficilióris aditus ad Themidis adyta gnari, aureo Jovis imbre implorato ſuaviter illaberentur, auriculis nudæ ſub denſo capillorum defluxu in cervicem tortis ſeſſuri Equites aurati, doctum exoſi Apollinem, & ut plurimum ad ſtridulam Panis arundinem ſubſilientes in ſententiam ineptiorum: nam Pan Deus Arcadiæ. Meritò Thallo Phoras in Panathenæis apellaſſent Athenienſes. Nec novum hoc; aſinos ſcimus olìm locutos: & licèt miraculo, terra tamen tot ejuſmodi brutis ſemper depaſta, & trita fuit, ut

ut planè sit asininum admirarier hæc miracula. O seculi pudorem! in ipsa muneris functione, quantum malum! insanis litibus damnosum mugiebat forum: quis tantas pace composuisset? Quis judicio finiisset? Illud Virum bonum desiderat: hoc justum judicem. At inter togas sæviente invicem discordantium rabie, & legibus ex publico ære præfixo in mercimonium pellectis, iniquitas numinis jura metiebatur. Vincebat nocens: damnabatur innocens. Quidquid emitur, justius erat. Timeri desiit, quod redimi potest. Tantam pestem justitiæ sacrariis invexerat stolidus veritatis error longâ obfirmatus audaciâ, & indigentiâ, seu vili, nobilive domo, in quæstus occasionem evocatâ, & habendi sceleratus amor: nihil autem beatiùs stulta fingit opinio, quàm in istis suaviter obdormiscere, nec sanctam Patroni Judiciales aures vellicantis manum pati. Videbant hæc Tertullianus, Cyprianus, & alii sancti Viri, quorum exstant magnæ querimoniæ: sed antiquitas reprehensa non transjecit emendatiores mores in posteros. Gentiliciâ autem iniquitate exstinctâ, totoque Christo terris infuso Astræa sæpiùs revisit mundum.

Quos fulgere cernis in armis, Martij

ſunt, quos ſcelus in bellum rapuit, & ſupplicij formido ejecit ſedibus, ſilentio Legum inter arma promittente impunitatem: vel crudelitate fames evitanda aurique ſacra ſitis ad deplorabile ſpolium excivit: vel cruenta virtus efferavit in imania. In furioſo hoc hominum genere, ſub degeneribus Romæ Cæſaribus, nîl vera virtus valebat ad adoream. Precabatur hic ad præmia: & conſpectius nefas virtutis nomine laudatum eſt. Vix ulli militiæ primus honor delatus, qui ſcelerum uſum non feciſſet. Olim Caſtrenſium laborum tarda manu pretia, & officiorum per officia proceſſus: locupletemque Aquilam ſexageſimus demùm annus adferebat. Poſteà pueri ære merebant magno: & qui longa in arundine equitaſſent, ſtabant in acie primipili: at non ultrà tubam. Totum corpus cenſorio luſtro lumine; oculos non torvo ſupercilio in hoſtem feroces, ſed ad Veneris prœlia molli petulantiâ proludentes miraberis. Manus non colloſas, non hirſutas, nec laborioſis, rudibuſvè telis, ſed tenellulis papillarum orbibus palpandis aptas videns exclamabis.

Non faciunt moles ad fera bella manus.

Proper. Pedes vidiſſes in hybernis ad artificioſum inceſſum compoſitis, nec extrà menſuram ob-

oberrantes, in præliis agiles in saltum, & fuga pernicios, nisi libido eos fregerit, non Herculeo horrent sago, in multitiis militantes. Multum ficti nitoris, multum coacti ruboris, quo genis & labiis mendacium inferant, pulvis dentibus elimandis, & speculum quo se viderent ornatos, cum vexilla tolluntur erant in Belli sarcinâ. Turnus hic aliquis ingentem quassasset hastam vociferans.

Da sternere corpus
Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines Virg. l. 12.
Vibratos calido ferro, myrrhaq; mandentes.

Nec quemquam pudebat sumptus. Bos Cymbricus, & Vesphalica sus, infumatæque hillæ, & quidquid olim in fortissimis excercitibus erat simplicioris cibi, plebeum sapiebant: Infœlicioris virtutis militibus ista cum farre & pisis distributa. Et ubi necesse fuit, sordidum panem non fastidiebant: quin nec arborum cacumina, aut herbas, quas non minùs homini quàm pecori in explementum ventris putabant nasci. Delicati autem illi, & flagitiosi, quos stupemus immeritò fortunatos, Martem, & Venerem, incassum indignante Mulcibero, copulabant amabili delicio; nempè ut in prælij discrimine Mars elumbes in Clypeum colligat, &

Venus fœmineâ nube fugaces tegat. Ecquid illorum palato non occidebat? Usu trita non placebat esca. Nec pulverulentâ sumptum in flumen Galeâ. Vectibile penarium vina defecatæ senectututis in auro, vel gemma propinebat, dives milliariis apris, linguis Phænicopterorum, aliisque luxuriæ portentis. Odora canum vis castra comitabatur: & auceps inter aquilas manu gestabat nobiles falcones. Ibatur in ferarum cubilia indagine & venabulo. Camporum viriditas subsidentium, ad pabula alituum familiaritate spoliata: & sylvæ canoris volucruum choris lugebant orbatæ, muto nemore auras tantùm desertis ramis, adspirante. Quid postrea? Geniales agere dies super mensam debellantes hostem: multam in noctem ludere: ac tandem miserorum excubiis vallatos dormire in utramque aurem non sub Jove frigido, non lassam vino, sumnoque cervicem suffulciente gramineo, cespite, vel fani manipulo, vel parmâ ferreâ: non tomento per triti lintei suturas affluente porrectis membris substracto: sed sub pellibus, aut tentoriis inclementiæ nimborum inviis, & in molissimis cygnorum exuviis jacere, Auroræ inscios, & solis medium demùm æthera pulsantis capaces de-

destertere. O tutum Regem hoc milite! intereà quam molliter hic fuit fœlix!

Severum tam pudendæ militiæ censorem Vespasianum habuit Roma. Ille nactus occasionem corrigendi disciplinam, adolescentem fragrantem unguento, cùm pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus est, voce etiam gravissimâ increpans, maluissem allium aboluisses, litterasque revocavit. Et quod in aliis optavit, in se noluit desiderari. Strenui militis votum est, ut masculam vitam generoso mortis illustret exitu. Cæsar marte & victoriis clarus noluit mori stratus in pluma: sed animum in membrorum officia appellatum stans dimisit in libertatem, Imperatorem, inquiens, stantem mori oportere.

Quam bellè conseritur turbæ, Lenonum & spiatriarum prosperitas nihil Cęsaris Caligulę funestum metuentium carmen! quàm venustè antecedentem nuptarum, innuptarumque chorum flectunt velut clavo in amantium vota! non iste Veneres in propinis, & tabernis, non in quadriviis, & angiportis vili merebant plebi: sed augustioribus sub tignis glubebant magnanimos Remi nepotes. In eo maximè fœlices, quod tam nobili consuetudine

tudine inauratæ Cypriam Deam æquarent dignitate, nîl eas rumoribus ſenum ſeniorum, nîl cenſuris, nîl minis infauſtantibus. Sin aliquam cenſor apud veſtã ſequeſtraſſet, ut caſto contubernio vitam diſceret caſtiorem, extemplò tota Cypros turbata ineſtuabat. Quantùm hîc tentatur! Sanctum, nec quod profanis fas inſiſtere limen, occupatur, & in penetralia fit via vi, quid feciſſet pia Veſta? Linquit priſtinis baſianibus Lesbiam: Et quo ipſa ſit extrà ſacrilegos impetus, pudori ſuo conſulit fugâ. Martem hic ſilvia tumuiſſet. Acclamabat mox tota inſula, ó juſtas vindicias!

Aſpectu proſperi ſceleris fatigaris? Profanos vidiſti, noſce & ſacram gentem. Priorum ſancta fuit apud Romanos origo: Eos numa conſilio Deæ Ægeriæ flamines Jovi aſſiduos creavit. Diales iſti, ceremoniarum legibus diu vixere probi. Poſt opibus in luxum creſcentibus, religioni non habebant equo vehi: exercitum armatum videre: anulo uti: nodum in apice, & cinctu habere: & cætera, quæ ex Maſſurio Sabino, & Fabio pictore tradit Agellius, commodioris improbitatis cauſa ridere.

Noſce & illos raſis illuſtres Galbanis: olìm


olìm Baptæ nominati ſunt, qui maſculo vigore in Cecropiæ Cotyttus ſacrum validius impenſo ad caſtiſſima Minervæ miniſteria in pretium impuræ priviligationis ſorte accerſiti, integris ibi piaculis diteſcebant: & quidquid deliciarum dabat venatio, & Cæres, Bacchuſque voluptatis, ſcenecis ludis, carminibuſque poſt Domitiani Cæſaris fata liberè contemptis, ſumptuoſæ magiſter artis & vorago cenſuum venter conſummens faciebat Dominos ampliſſimos, & pinguiſſimæ feſtivitatis. Nulla in hoc ſumine nobilis cogitatio: menſque obruta tantâ pinguedinis mole hærebat terræ, viventes tantùm ut ederent, multis Jugeribus miſerorum ſudore aratis, & ſatis in inertia miſſis ilia: ſoliſque excrementis agriculturæ, & pecorum utiles paſtui, & Deæ ſuę ſacrificantes. Quas non facetias habuerunt Pompales nugæ? Quantùm rerum, quas agebant ignari! Et quo magis forent reverendi, grege cernuo, & ſtupido gaudebant: nam ignoratio majeſtatem quandam addit fano. Quid dixiſſes per Cloſtellum videns pigiciaca ſacra? Iſta non improbat Epicureus, nec alia, quæ his ancillantur. In diem vivendo craſtinum fatum obibant ſoperoſi, nulloque tormento laxarunt

runt

runt corporis compagibus animam in tenebricosa loca, undè denuò in hanc Scœnam prodirent judicandi.

Innumeri sequuntur: sed ego demonstratione lassor. Abeo. Eant illi, undè exierunt, quis enim istam malorum colluviem olim in Asia, & Africa natam enarrabit? Non unius sæculi habet sceleratas prosperitates, sed omnium, euntibus in ætatum orbem vitiis: quare sit sat, vidisse. En Viri boni, & mali contrariam sortem. Sic bonus ex malis emergit ad beatitatem: malus ex bonis ad miseriam.

Finis Libri secundi.



PHI-



PHILOSOPHI

BONÆ MENTIS,

Liber Tertius.

CAPUT PRIMUM.

De Vera ratione, quare mala bonis, bona malis in hac vita eveniant.



At rerum adverſarum in Viro bono ſpectatum: ſat ſecundarum in malis: ad quas tener & rudis ſapientiæ exclamat; ô DivinaMajeſtas quam bonis es iniqua & quam non æqua illis prœmia dividis, indignos auges honore. Dignos ad infima deprimis. Juſtos auges pauperie. Injuſtos divitiarum copiis amplias, tranfers ad impios quod piis adimis. Evertis bonos. Stabilis malos. Quantò æquiùs hoc Sophocleum. Di-

Disponere aliter cura debuerat Deum
Mortalium res: nam pios decuit palam
Bona largitate consequi cœlestium
Contra scelestos paria criminibus suis
Supplicia apertè luere dis Vltoribus
Ita res secundas nemo jactaret malus.

Quid dicam? Non dubito de tua providentia; sed quæror:

Ast audi; rectè non dubitas, quia dubitatio foret impia querela fortiori sapientiâ sedanda est. Quod de providentia non omnes peræquè judicent, non ab ejus ullo iniquo est; ambrosiam æger palatus insipidam respuit; an ideò cibus ille Deorum desinet esse, quod est? Num Solis utilitas minor aut major allucebit, quod aliis habeat oculorum acies, aliis sit acutior? Opinari Deum non semper bonum: aut modò justum; modò injustum, ignorantiæ, quin insaniæ est. Quod non intelligis, disce. Et quod discendum de eo non expostules, antequàm intelligas. Discendo intelliges: & te tuæ pudebit quærimoniæ.

Non ego te Marco Antonino Imperatori ex Zenonis & Chrysippi schola Philosopho tradam erudiendum, qui tibi evenientia æquo animo ferenda duabus rationibus monebat in libris, quos de vita

sua

ſua ſcripſit ; una , quia ſors tua ſic ferebat: & tibi decreta erant ab antiquiſſima fatorum cauſa ad te certum aſpectum habentia:alterâ , quod ea faciant ad profectum, & perfectionem , ac permantionem ejus, quod univerſo præeſt : minimâ enim parte coherentiæ , ut membrorum , ita cauſarum diſciſſâ totum mutulari : id autem te facere , quoties ea , quæ tibi contingunt , moleſtè fers , ac quodam modo tollis. Non etiam quâ Achilles Priamum ſenemHectore orbatum,te conſolabor , ratione.

Statuere Dij mortalibus ægris
Triſtitias : at cura Deos non ulla remordet. *Homer. Illiad. 24.*
Quippè Iovis donis , quæ dat , ſtant limine plena
Dolia bina : malis ſcatet hoc : bona continet illud
Cui mala mixta bonis , diviſit Iuppiter , ille
Nunc mala conſequitur : bona nunc. Cui peſſima triſti
Vaſe dedit , probris , odiiſq; exponit iniquis
In terriſq; fame , miſeriq; laboribus ævi
Perdit , honoratum , nec Dis , nec gentibus ullis.

Non inquam , his ſcitis tuæ præſcribam querelæ : regeres enim ; ſermone iſto cleantheo Dei providentiam inſinuari :

 non

non ignorari fatali catenæ bonos juxtà, ac malos innexos: at cur in ista bonorum annulus durior? Malorum mollior? Non capi æquitatem, quæ istos non discriminat. Non etiam me, quo se noster solebat expediam. Bonos exerceri ex Dei amore, non odio: in fructum, non in læsionem: hoc modo bonos ad robur instituti, & virtutem: nec aliter cuicquam de firmitudine sua constare: & illorum patientiâ limitem signari, per quem alij eant ad eadem. Ita Deo placitum: summam justitiam esse voluntatem Dei: judicia ejus, multa occulta: nulla injusta: eorum rectè constare rationem, si nulli reddatur; verè quidem ista; sed de facti ratione, non de facto quæritur. Quare arcana Dei penitius, quà data verbo ejus via, penetranda, indeque exertius rationem divinæ voluntatis vulgemus.

Lipsius de constant. lib. 2. cap. 8.

In rerum omnium, quas sidereus cælorum fœnix ambit stupendas creatione, & gubernatione providentiam, & gloriam Dei veneramur. Meritò id hactenùs. At utraque non tota in illis est perspicua. Pars potior in Homine splendet illustrius. Præterquam enim, quod in humani corporis constitutione, se parvus mundus prodit, & ejus non secus,

ac

ac magni illius gubernaculi numen assideat: animus quoque illi insedit præstantior multo. Et sicut iste propiùs ad Deum accedit: sic & Deus in eo per providentiæ suæ seriem evidentiùs gloriam suam vult enitescere. Animum non puto quemvis: sed cui divinitùs instillata virtus est: in cujus elaborata manifestatione, & inexpugnabili munimento opus Dei spectatur omninò gloriosum. Quod siderum lumina, & cursus, quod aëris, terræ, marisque mutua faciunt officia ad enarrationem divinæ gloriæ: hoc multo præclariùs malorum tormenta. Qui hæc trepidus abominatur exhors virtutis est, quæ sine illis ignoratur. Planò nîl aditur excelsum nec ad astra mollis è terris est via, considera virtutis chorum: & vitij ex adverso: & utriusque consortium: & hunc illi infestissimum: Cùm enim Deus virtuti suæ sedem in te parat, vitium in confinio metatur castra: & nulla virtutis est pars, quàm non totum vitij incursat agmen. Utriusque conflictus in bonis est afflictio: attamen hæc non affligit vivendos, sed victuros. Ad res alias paululum eamus. Dum tempestas ventis adversâ fronte prælium gerentibus turbida, astrisque assurgente fluctu minax deductique equoris

 val-

vallibus in tartara ſubſidentibus horrida peritis invidet tutum cæruleæ viæ decurſum, miramur artem nautarum quam ſcitè & proindè modò alios aquarum montes fugiant, modò frangant alios: modò vela dent ventis: modò legant: modò tenaces naves fundant anchorâ. Non furente pelago ars jacet ingloria: & ſecundò flatu ſentinarius vel oſcitabundus reget clavum. Orbis non noviſſet hectora, nec invictum Achillis robur, nec Ulyſſis prudentiam, niſi Troîa fuiſſet infœlix. Quidquid nobilius animo clauditur indefeſsâ exercitatione laxatur in gloriam. Cur igitùr Chriſtiane tumultuaris ad afflictiones, in quibus Deus aperit ſuæ virtutis ſolem? Magnum erat artificioſæ univerſi fabricæ ſui notitias inſculpſiſſe: iiſque hominem in ſtuporem, amorem, & cultum perduxiſſe: verum reſtabat virtutis gloria non per elementa, ſed hominem radiatura. Hæc quantò denſiores perrumpit nubes in lucem, tantò majus habet efficaciæ ſuæ teſtimonium. Illi fortunatorum non fumant aræ. In rerum aſpredine & ſpinetis creſcit vivida & potens. O ſalubres afflictiones? Non quod ex ſua natura ad hoc quippiam valeant, quæ magis ad fremitum & maledicentiam inſtigant: ſed quia

Dei

Dei virtus in infirmitate perficitur: in hac namque ſeſe luculentius exerit, agnitaque majori Laude percrebeſcit: quàm divinè S. Paulus! *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſsitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis: & libentiſsimè in iis gloriabor, ut inhabitet me Virtus Chriſti*: rectè ait, in illis gloriabor, quo fine? Ut Chriſti virtus in ſe inclareſcat, ſuam jungit Chriſti gloriæ, nec malè, utræque enim convinxæ ſunt; nec ſuam hahuiſſet, niſi Dei in ſe habitationem recepiſſet. Vis videre quomodò Deus illam habitationem parat? Et homo huic pectus ſuum aperit? Vir pius ex immani miſeriarum ſævitia in imbecillitatis ſuæ cognitionem adductus, ac diffidentia ſui,& humilitate proſtratus quo ſe vertet? Oculis per totum terrarum orbem circumlatis, nihil quo juvetur, conſpicit. An obſtrepet Deo? Aut animo ferreo, contumaciſſimum pectus adverſùs iniquam fortunam projiciet ingeminans, uſque adeonè mori miſerum? Nequaquam: ſed preſto eſt S. Spiritus Divinæ voluntatis nuncius, qui, infuſa in locum contumaciæ interiore manſuetudine, & intimius impacto conſolationis ſuavio, indignationem, & maledicta penitùs eliminat: hoſtilemque

 ma-

malorum in cursum in Sanctæ patientiæ mutat instrumenta: undè protinus exurgit animis Deo monigerius in masculam illam fortitudinem, qua ingruentia mala strenuè exantlat, nec contumeliis provocatur ad talionem; nec incursionibus variis perculsus, damnisque detritus se miserum inter miserrima plorat: ideonè aliquem execratur diem, ratus à Deo provisum, nè sibi quis ater eat. Quin nudis scapulis, & fætentibus in sublicium pontem inter egentes abactus sedet beatitatis candidatus. Nec expedit amplissimæ domus auro rutilantia laquearia: habet cæli faciem stellis insignitam fulgentibus: non diffusas possessiones: scit patere in commune elementa non epulas lautas & jugales facili victu quem tellus justissima fecundo sinu fundit, contentus est. Non refulgentia auratorum Lychnorum lumina: quia multò illustrius illi resplendet luna, non in hyeme hypocausta anhelantibus ignibus vaporata, queis gratior solis calor; non eburneos lectos: nam prefusior terra, fragrantes illi graminum toros sternit suaves divites somni, quem totâ pervisil nocte quærendo aureâ compositus spondâ, & sarrano tectus ostro non capit. In hac se fortunatum agnoscit paupertate, mer-

mercedem reſervante, quam cenſus, non abſumit. Multum abeſt ut paternis Dei flagellis impiam murmurationem infrendeat, in quæ ſemper paratior oſtentat verberum vulnera, & vibices in conſtantis obſequij fidem: nudamque virtutem remoto ſucceſſu inſpicit: nec fatalem operis pulcherrimi, quod in illo Deus ordinavit, curſum detrectat: cui „ quidquid patitur, intextum eſſe novit. Ergò quo Deus vocat, ſequitur ſecurus. Victori totius Europæ junge præcipitem mutationem: ac victum & vinctum nobili pompæ ferculo impone, idem in utraque ſtabit fortunâ, virtuteſque quarum experimento ſudor, & ſanguis fluit, quoties neceſſe lætus amplectitur. In quem finem? Honeſtatem ponit Ariſtoteles; ego ſummum Bonum.

Hoc demùm modò probatio virtutis, velut aurum ſeptimâ flammâ excoctum eniteſcit probius in lætitiam & ſalutem probati, & in gloriam Dei probantis. Et id eſt, quod Apoſtolus dicebat; tribulationibus effici patientiam, patientiâ probationem, probatione ſpem; utique ſpem non dubiam, ſed quæ magno pignore patienti nectitur. Quodnam illud pignus? Dilectio Dei ergà patientes in eorum cor-

dibus diffuſa per Spiritum Sanctum: non enim fallit, quos amat.

Hinc liberè dixerim cuncta mala Viro bono cedere in bonum. Nullam vim bonæ Menti nocere. Fortunam oppoſitâ virtute minas ſuas perdere. Nihil referre debeaſnè bonis eſſe cum infamia, an cum gloria. Et ſapientem malâ opinione benè parta delectari. Intereà non ille humanam exuit naturam, ſed homo res adverſas formidat, & refugit, magnoque amaritudinis ſenſu tangitur, ex quo patientia naſcatur. Tormenta velit ab eſſe: ſed ſi ſuſtinenda ſunt, ut in illis ſe non ſolum animosè, & fortiter, ſed conſideratè etiam ſapienterque gerat, optabit. In patrimonio magna erumnarum materia. Si Deus dederit amplum, cupiet ſervare: ſi reddere jubeatur, non quæretur, ſed gratias aget quod poſſederit, ac gratus, libenſque cedet. Animæ depoſitum non ejiciet corporis domicilio. Deo divortium mandante, non tergiverſabitur: paratum reſtituet volens, quod non ſentienti creditum eſt.

Appage fortitudinem illam, quæ inſanâ contumax animoſitate; & poſthumę famę gloriæque cupida, olim apud Philoſophos laudem invenit, uti venenum in Socrate,

ignis

ignis in Scœvola, tormenta in Regulo, quibus ſummam fœlicitatem obtigiſſe falsè credebant. Hoc Euripidis

Probantes

Via hæc cramaq; membra, & impletur mei
Potans rubentem ſanguinem in terramprius
Deſcendet æther terra ſe in cælum feret
Quam blanda de me veniat ad te ratis.

Nihilò plus virtutis habebat apud Sparthanos ſolemnis ad aram Dianæ Orthiæ adoleſcentum flagellatio, interdùm ad necem cruenta, nec gemitu vel uno, nedum exclamationibus interturbata, adſtantibus parentibus, & ut perſeverantiùs laceros artus in flagellorum ictus, & vulnera in vulnera præbeant, adhortantibus. Conſuetudo pertinax valet quoque ad perferenda: at multum refert quo animo feras. Si perferas, ut videare pertuliſſe: & contra fortunam perſtes, ab ejus ſævitia duratus, monſtreſque quantùm humana natura. In te poſſit ferendo, procul abes à virtute. Chriſtiana Philoſophia non Sparthana nobilitate Plagas concoquit: nec ſuos inani encomio plagipatidas facit, ſed contempta verberum crudelitate generoſos Spiritus ad Deum evehat & diſcent iſta, quæ vocantur aſpera, & abominanda pro iis eſſe, qui ea patiuntur, deindè

pro universis: deindè pro gloria Dei: pro iis esse quia propriæ imbecillitatis conscij: & fiduciâ in Deum recumbentes sic assuescunt patientiæ in certam & perseverantiæ beatitudinem exituræ: pro universis, quia in exemplar exercentur: ac tandem exhaustis malis, Deo, & sibi triumphant: hâc ratione non dubitem beatos asseverare, qui vel totâ vitâ in Phalaridis tauro mugiente ut tales sint, non hic bona aliqua desidero, si in cælo decreta sint, illis æterna hæc boni Christiani lucta. Hæc victoria est: quæ lætior, quoties sibi magno constitit. Sin autem contingat Virum bonum eripi malis, licebit corde, palmis, voce in astra sublatis Deum Optimum Maximum affari; *O Domine ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ. Te dilexi quia exaudies vocem orationis meæ. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Convertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit te de morte: oculos meos à lacrymis, & pedes meos à lapsu. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, Vota mea Domino reddam coràm omni populo ejus.*

Psal. 114. & 115.

Inspice te modò: & bona tua nosce intror-

trorsus obversa, non extrinsecùs fulgentia: & in iis Deum Optimum agnosce: & in malis ergà te maximum, quia ejus manu mala victat, & triumphata. Nosce tibi nihil à Deo mali illatum quod te malis exercuerit ad meliora. Mala non sunt, quorum exitus bonus. Mala passus es? Aliena fuerunt. Qui perpetrat malum, ejus id malum. Qui patitur, alienum patitur. Deus istis utitur, non facit. Suum cuique malum exitio est: alienum sæpiùs saluti. De nocente dicas, non nocuit mihi, sed voluit. Nocendi voluntas serviebat perferenti: & perlatio lucro nocentis, nam bona lucri occasio est, dum sustines malos tibi malum machinatos, & inferentes. Si malitia successu sit infœlix, forsan erubescet blanda depulsione victa: si fœlix & te mali videant inconcussum, nec pari malitiâ addi numero malorum fieri poterit propitio numine, ut augeant numerum bonorum. Fide igitùr Deo: & amator duræ virtutis, dum vitali frueris aëre, durato, & te veræ servato fœlicitati. Fœlicitas non est, esse improbè fœlicem. Quod cuiquam bono dedit, tibi non negabit ille à quo omne bonum. ʳ Quidquid in aliis boni est, proprium non est: adventitium est: quippè Dei est, quodcumque in

in ullo Sanctorum Laudas. Aptè Sophocles apud Stobæum. *Nusquam sincera feruntur dona, præterquam Iovis horto.*

CAPUT II.

Objectio: non decere bonitatem & misericordiam Dei, gloriam suam in hominum miseriis, & afflictionum tormentis ostendere: eam laudabilius ab internis vitiis superatis & piis officiis in homines spectari. Prosperis parari causam gratitudinis, libertatis, temperantiæ, & aliarum Virtutum.

VIdeo te ni fallor interlocutionis incendi deciderio: effare, quibus pectus turgescit adeò. O ferream rationem & plus nimio furentem in bonos, Cedo: nolit Deus molli Virtutis documento gloriam suam inclarescere. An illud à crudeli fortuna petendum! Virtus Iubar suum non emittet plenum, nisi ego miser? Non reor. Illa animum ornat, & intestinos habet hostes, quos justâ prudente moderatâque fortitudine debellando abundè glorianda est. Adjice prosperitatem ocyus Pariet gratitudinem. Nullam verò sæviens for-

fortuna. Quod Virtutum aliquam impedit, bonum non eſt. Ferarum eſt, frui pæjus: Patrem dices, qui Filium intaminatum, & nullis non animi dotibus excellentē,& ut uno verbo dicam, bonū poſcit ad flagra, & cruorem? Carnifex mihi ſit non Pater: ovet ergò virtus internorum vitiorum victoriâ. Foris exuberet piis in mortales officiis; certè coruſcabit magis rerum lætarum acceſſu animus aſperarum. Hæ corpus indurant: animo virtute mænito parum ad robur conferunt: ad gloriam nihil, quantulùm enim eſt, non inclinari, nec deprimi, quod unum hic virtutis eſt? Imbelles ſunt, & contemptu vincuntur. Vilet contemnemdorum victor: iſtæ in partem præmij virtuti victrici debiti dandæ ſunt. In quibus temperantia, & liberalitas campum habent patentem. Memini abs te auditum; Deum non ſibi, ſed nobis inclytæ ſuæ Majeſtatis cognitione prodeſſe. Nobis una ſalus placet, & abundè ſatis eſt. Hujus ſi certi ſimus, nullis invidentis mali Telis impetiti, quid opus infortuniis tabeſcamus?

O ſtrenuum militem! malles virtutem interno vitiorum tumultu compeſcendo defungi: nullis externarum adverſitatum

quati

quati procellis, intus pravis motibus silenter consternati foris cute benè curatâ insuper mollicinâ, Crocotâ, Chiridotâ ricâ, muliebribus soleis, purpureisque fasciolis testari fœlicitatem. Aversaris vulnera sanie, ac tabo fluentia, cicatricesque recentes, laceramque pallam, callumque instar vegrandis suberis longo sole cocti, immanibus Cœcæ Deæ truculentiis obductum; quæ sapiens scit fortitudinis & patientiæ monumenta Deo cunctisque ætheris incolis admiranda. Non, non, Sodes: sub Dei vexillis militanti tuum hoc delumbe non convenit. Homo animo & corpore constat, tolle corpus, tollis hominē Deus in homine suam vult virtutem patefieri: illa in animi præsidio constitutâ adversùs internas tantùm irruptiones bellante, perspicua Deo belligeratio ista: non hominibus. Vult ille coràm hominibus, & toto mundo potentem suam Majestatem in gloria conspici. Hæc ejus voluntas, quæ te ad istam gloriam jubet eniti: cur aliter non fecerit, est illi sua ratio. Tu nè interroges, sed pareas. Intuitu tui justissimam fateberis voluntatem, agnosce enim teipsum & à vitioso parente te vitiosum. Et indè innumera delicta. An hæc non merentur severiùs puniri

niri? An non æquum est te ex tua natura libidinosè ferocentem domari? Hic clementia agnoscenda, & obedientia in gratitudinem venit, si fortunam patiaris adversam, & immanem rectè ferendo occallebis; & te dum feriet inclementiùs, sibi magis nocebit: tandemque absolves totius virtutis documentum. Non ex æquo in omnes irrumpunt mala. Scit Deus quid quisque possit: Et ad vivum modum temperat cruciatum. Premit, non apprimit. Pressos sæpè levat in ea, quæ vulgus hic appellat Bona. Saltem quod cuique satis est, non negat. Sin ille te verset tristius ad mortem, durum quidem Virtutis experimentum: sed alibi majora sudati laboris præmia tibi reposta, ubi mitteris in summi Boni possessionem. Hæc tibi via calcanda est. Hospitalis noster Christus præivit: quid ni sequaris? Malus miles Imperatorem sequitur gemens. Bonus Imperia sive in lethum, sive in victoriam excipit alacris, & exequitur animosus. Illum intuere, ut sanguineo profluus sudore rigat hortum, & prætorium in commissorum tuorum ablutionem prodigè fuso. Intuere spineo redimitum diademate. Intuere clavis rudi affixum robori, & latus bifario fonte largifluum.

gifluum. Quid cætera dicam? Dicat Iſaïas ejus crucem: in cruce patientiam: in patientia fortitudinem: in fortitudine temperantiam: in temperantia juſtitiam. In ſingulis meritum, & in merito coronam.
Iſa. cap. 53. *Vidimus eum deſpectũ, & noviſsimum Virorum, Virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: verè languores noſtros ipſe tulit: & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra. Diſciplina Pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coràm tondente ſe obmuteſſet. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & ſaturabitur. In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervos meos multos, & iniquitates eorum ipſe portabit: ideò diſperdam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit & pro tranſgreſſoribus oravit.* Dic cætera S. Paule.
Ad Philip. cap. 2. *Propter quod & Deus exalatavit illum & donavit illi nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria Dei Patris.* Quan-

Quanti miraculi eſt. Tantâ rerum varietate & diſſentione in Communionem coitâ gloriam parari. Quam illa contraria! lætitia, dolor, vita, mors, miſeria, & gloria. In uno ſociantur hæc omnia. Vides Chriſtum in cruce dolentem & patientem? Vide lætitiam? Vides mortuum? Vides ſepulturam? Vides in utroque miſeriam? Vide in reſurgente vitam & gloriam.

Cogita tibi Dominum loqui; ego cùm in forma Dei eſſem non captivam arbitratus ſum, eſſe me æqualem Deo: ſed memetipſum exinanivi formam ſervi accipiens in ſimilitudine hominum factus, figura inventus ut homo factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: quare compone mentem ad ſummos labores, & patientiæ magnum opus, virtutiſque illuſtre documentum. Comites mihi volo non delicatos, nec popas ventres omento tremulos, & ad rigidam cataſtam puiguiter paſtos: at quos tramâ figuræ commendat frugalitas: & quibus in periculis undique imminentibus armis & cathenis circumfrementibus, ſurgat animus fortior: qui me, & ipſo cælo teſte triſtiſſima quæque pati pulchrum, Chriſtianumque putant: & egregium magis ad-

M verſa

versa perdomuisse, quàm fugisse: quibus denique placet una salus crucem meam seculis mori indomitâ cervice. Tales volo, & facio. Te quo fortissimum athletam parem non in coccinum, & tyrum, non in balnea, hortosque amæniores, non ad spumantes falerno pateras, & nive glacieque in mediis æstibus hyëmantes, sed in masculam horridamque laborum arenam misi: cum in festissimis quibusque confligere cædi, vexarique volui: pluribus objici, si pauciora gloriæ meæ paria non sint ostendendæ. Major illa à majori tui tentamento: ad quod non ex aula Attali, sed carcere meos emitto. Belluatis tapetiis non sternitur hic circus, pulvis in eo colligendus, non teneris calcandus plantis: non conchyliatis circumseptus peristromatis, sed strictis impetentium hastis firmidolosus Tronus podio ego, meique Cælicolæ sedemus spectatores virtutis generosè certantis. Nosti in bello strenuos ex papilionibus, & gurgustiolis in aciem russa tunica in prætorij fastigio suspensa, non ex bombycum stamine & nolli plumâ cieri. Nosti quantùm faciat ad victoriam manus duriori disciplinâ roboratâ, pugnæque jam antè ædificata. Paterno ergà te sum animo: & quia te fortiter amo, graviori

viori filium opere exagito pugnasti? Vicisti? Non tu, sed in te virtus mea. Illa tibi præsidium, & arma ministrabat. Mea, inquam, virtus in tua inermi acie Dux fuit, & miles: & tibi trophæum in beatitatis signum, astris conterminum erexit. Virtus mea semper penes me claret. In te si celata, & sine adversario sit, mea quoque celatur gloria. Tunc apparet laudanda, quoties eam scrupeo lasso tramite, invitoque, undè fluxit in altum æthera. Si te vitiorum victrix in prosperitate duntaxat pium ergà me hominesque exhibeat, minore radio in meam emicabit gloriam, verum maximarum adversitatum obsidione vinctâ & arietatâ luculentius vincit, & triumphat gloriosius. Servus meus Job in omni rerum affluentia vocari meruit, *Vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo:* Attamen in cunctarum demùm fortunarum direptione, miserandoque liberorum funere, acerbissimoque corporis cruciatu constantem virtute perfeci, & ad meam potentiam adeò in homine efficacem erubuit Satan. Quid pateris dignum cælo? Graviora passus sum. Perpende me in cruce pendentem: & vide, *Si est dolor sicut dolor meus.* Insons pro sonte pendebam.

Augebat dolorem, quod populus electus in me conspirarat: quod Apostolus prodiderat? Quod Pater percusserat: inimici plaga minus ferit. Ab amici vulnere magis delet amor. Te magno emi pretio: emptorem sequere. Res empta non est melior pretio: imò pretium meum magis emptâ. Quænam empta? Hostis. Quo empta? Sanguine. Mancipij mei es sequere, non in mortem, eam pro te al sorbui: sed in vitam, ad quam morte cruentâ viam aperui. Quid habes modò, quod de me quæraris? Per ista quæ dixi, confragosa meliori vitæ præluditur. Alius te rerum status in cælo expectat, quem, quamdiu in corpore mihi militas, non nisi ex intervallo pati potes. Hora decretoria corpori, non animo suprema, illi te beatius inseret: cujus lucem cum totam aspexeris, in tenebris te vixisse dices. Quid enim dies, & nox, nisi infimi aëris vices? Huic diei prælucebis divinâ meæ Majestatis irradiatione circumfusus, & tot sideribus lumen suum miscentibus.

Nè fœlices putes illos vegetos rebus secundis, censúque in luxum surgente voluptuarios, honorum sublimitate superbos, potientiâ feroces, tyrannide crudeles, facinorum securos, *Qui gloriantur in*

mi-

malitia, & potentes sunt in iniquitate: qui populum meum humiliarunt, & hæreditatem meam vexaverunt. Viduam & advenam, & Pupillos occiderunt. Nè invideas illis temporanam faustitatem, scilicet culinas, & concursantes inter tot ignes coquos libidinum, & voluptatum ministros: detestandum ventrem, cum tanto tumultu pacantur epulæ: & magna pars suæ fœlicitatis exclusa videtur, quod corporis angustiæ omnem illum deliciarum apparatum non capiant: prætereà execrandam potentiam cui jus, & fas non assident: sed in libertate scelerum, ac sublato gladiis modo omnia facit sævè, invisumque truetur sceptrum. Eos in nativo reliqui justus errore, ut suæ spontis sint errones, & pereant liberi, non coacti. Huic errori comites adjeci, aurum, argentum, & ebur, ut flagitioso eorum abusu augescat noxa, dum quem ex iis agnoscere & adorare debebant, volunt ignorare datorem. Et cui bono hæc tam falsa bona? Ut illis ebrij velut fallaci somno ludantur. Rimare sapiente oculo istos, non qua cernuntur, sed qua latent: nihil intus boni possident. Quidquid aureum apparet, bracteatum est. Sub crusta tam pulchra turpissimæ scatent immunditiæ & sabæis illis, panchæis-

que fragantiis pestilens alitur odor. Attende ad finem, & miserrimam videbis infœlicitatem: animus enim à mei contemplatione, & cultu in noctem, & ad hæc sordida abductus ruit impatiens fræni in lethalia. Furiosa res est in tenebris impetus: & malum facit exitium. Quid fit? Odio veri boni lymphati pessum eunt, serius ejulaturi vastas possessiones magnâ gratulatione exceptas, regiam patrio quondam præfulgentem ebore, lemniscata stemmata & repostis thesauris clausa auri pondera nîl profuisse: vitæque scelerate fabulâ peractâ nudi rapiuntur in mortis voraginem. Te verò Vir pie, & juste, ac multum in mortali vitâ per malorum conflictus exercite, tandem in beatissimum piorum cætum facio indigitem, ut mihi, quem authorem omnis virtutis, & consolationis in ærumnis expertus, & ducem boni fideliter secutus es, æternas grates beatus persones. Hæc hominis Christiani in humanis vita. Hæc melior post fata beatitudo: tunc bonum scies tuum, cùm intelliges infœlicissimos fuisse. Quos fœlices humanus putabat error.

En aperui tibi magnum fœlicis afflictionis secretum. Ea non est, quod malis apparet, malum: est, quod bonis apparet, bo-

bonum. Mali ſenſibus illam definiendo infœliciſſimi tormenti notant opinione. Bonis, qui fructu eam metiuntur, æternæ beatitatis militia eſt. Nec ejus continuò ferociebat acerbitas: ſed aſperſa quadã cæleſti ſuavitate compendioſius ad me faciebat iter: identidem in ipſo malorum æſtu ſuggeſtis patienti his valdè efficacibus votis, *Deus dic animæ meæ ſalus tua ego ſum*: Sciebam primò rerum adverſarum ictu eandem vim in aſſiduitatem protrahente, neminem mortalium citrà extraordinariam meam opem, duraturum: quid feci? Optime de tę merui, quem, cùm noſſem queîs ærumnis natus eſſes, conſuetudine in calamitatum emollimentum inventâ, citò in familiaritatem graviſſima quævis adduxi, non in omnibus eodem modo virtutis meæ gloriam pando: verùm in aliis longiori, in aliis breviori exercitio, ô exclamaveris igitùr non immeritò, ô Deum Optimum! ô Deum Maximum!

Vocem Domini excepit Regius Pſalles divino planè carmine, quod olim luſit ad cæleſtem Barbiton.

CAPUT III.

David hoc Carmen ſcripſit ad eos conſolandos, qui angi ſolent, cùm vident improbos opibus, & potentiâ florere, bonos autem egeſtate, & variis incommodis premi.

Pſalm. 72. ſed apud Hebreos 73.

ÆTerni veriq; Dei, cui pectore puro
Naturam noviſſe datum, cauſamque creandi
Orbis opus, primoſq; homines, juſtumq; regendi
Servandiq; modum; nullis ſtat turbidus ille
Eventis rerum. Cœlo terrâq;, mariq;
Aëris, & vaſto circumludentis inani
Perpetuis inſculpta notis monumenta benigni
Multa Dei miratus amat: laudatq; potentem
Authorem, magnoq; bono ſe paſcit in ævum:
Penè tamen, titubante animo ſententia greſſus
In lapſum propenſa trahit, dubioq; relinquit
Numen: & an juſto curet mortalia ſceptro,
Anguſtis immenſa volo dum claudere metis
Stultus ego celſumq; homini compono tonantem.
Quis ferat aſpiciens? Meme livoris acerbi
In rabiem fortuna rapit blandita ſceleſtis
Munifico profuſa ſinu: vultumq; fugacem
Et varias oblita rotas immobilis orbe.

Ex-

Exardent ignes animo. Subit ira secundam
Vlcisci sortem. Stricto jam dextra ferro
In scelus ire parat. Fœlices cerne nocentes,
Elatis, ut quisque ferox, fiditq; quietus
Rebus! & ignarus fati, mentisq; sepultæ
Deliciis securus agit mollissima vitæ
Tempora, nec longo grassante per ossa dolore
Luctatur cum morte miser: sed nescius horæ
Supremæ, in placidam claudit sua lumina mortem!
Et quâ nulla manet major post fata voluptas,
Posthuma succrescunt natorum robora Patri
In titulos, & opes, irritamenta paterni
Flagitij: magnisq; habitant innixa columnis
Clara micante auro nitidisq; palatia gemmis.
Impius hâc vitâ fœlix. Hæc vita laboris
Mordacisq; expers curæ: vulgiq; flagellis
Et duris exempta jugis: sed libera tota
In præsens & læta, odit curare quod ultra est:
Nec quærit serò quidnam vehet hesperus ortu,
Aut croceis aurora rotis, quemcumque dierum
Fors dederit melior, lucris apponit. In horas
Cui dixisse licet, vixi: rebusq; futuris
Indormit. Vivunt igitur, nimiumq; secundis
Colla levant: fastuq; tument inflata superbo
Pectora: Gensq; imò scelerum demersa profundo,
Contemtrixq; Dei factis obtendit honestum
Nomen, & infami laudes de crimine captat
Impia. Persuadetq;, nefas nihil esse, libido
In vitiis porrecta suis, censuq; furente

In luxum ſplendet, redituq́ volubilis anni
In nova naſcentem fundit diſpendia fructum.
Sylva ſuis orbata feris, & piſcibus unda,
Mille parata gulæ miſceri funera lugent.
Gemma calet Baccho, Pallasq́, Cereſq́ repertis,
Menſam onerant donis. Quidquid natura palato
Ingenioſa parit, totum coaleſcit obeſum
Ventris in abdomen: collumq́, ac tempora circum
Pinguè tremit pondus fugiuntq́ rubentia ſedes
Ipſa ſuas, ciliisq́ natant, caſumq́ minantur
In malas, placidumq́ nihil dant lumina vultu.
Exundansq́ illas fortunæ rivus inaurat,
Et majora ſuis ſuccedunt omnia votis.
Atque iſtis, tantisq́ bonis circumflua recti
Excedit furioſa modum Veſania, grandi
Libertate ferox: juſtoq́ immanibus auſis
Inſequitur, vexatq́ Viros: virtusq́ vocatur
Flagitium fœlix. Aliis nocuiße decorum.
Nec ſat peſtiferæ terras erraße per omnes,
Exitiumq́ piis diro ſtridore tuliſſe:
Aſt etiam in cælum furioſo horrore relaxat
Impietas linguam: tentatq́ laceßere dictis
Infandis, factisq́ Deum: ſedemq́ relinquit
Æthereàm ſuperis. Mundo lubet uſq́ mirari.
Dum populus videt hæc, & iniquis totus inhæret,
Obſtupet, & dubitat, cauſamq́ inquirit, & intus
Fluctuat, hoc, illud verſans ſub pectore: magno
Ardeſcetq́ æſtu: mußat tandemq́ profatur;
Scilicet, iſta Deus, memori proſpectat olympo;

Et

Et res humanas æquâ ratione gubernat.
Si videat, cur fulmen abest? parcitq́ue sceleſtis?
Et pejora piis decernit fata? Quid ipſam
Virtutem toto premit inclementior ævo?
Huc quoque vergebat mea mens non ſponte, ſed altis
Expugnata malis, tacitoq́ue hæc murmure fatus
Ecce mali florent: illisq́ue pecunia magno
Grandeſcit cumulo, tellus ceu creſcit arenis,
Cum delapſa fuerit tempeſtas horrida cœlo,
Incumbitq́ue mari, totumq́ue à ſedibus imis
Eruit, & volvit fluidos in littora montes.
Cernis ut adverſæ, nullâ quaſſante procellâ
Sortis, agunt molles tranquillis otia rebus?
Fruſtrà ergò pietas, fruſtrà fuit ardua virtus
Affectata mihi, vario ſociata ſororum
Connexa: caruitq́ue omni cor labe, doliſq́ue
Et fruſtrà innocuis ſurrexi in ſidera palmis.
Me roſeis matura genis, meq́ue heſperus ore
Noctifero fruſtrà cœdi, tergaq́ue virentes
Conſpexere mori virgas: dextraſq́ue cruentas
Infractum pectus fruſtrà viciſſe ferendo.
Sic inſanus ego: cæcam ſed numine mentem
Irradiante pudet dicti: nam talia fando
Nonnè probum reprobo ſtudium, vitamq́ue piorum?
Quos Deus appellat blandâ ſua pignora voce,
Et duris exercet, agitq́ue in præmia plagis,
Nevè mori miſerum, majus ſed morte repoſtum
Eſſe bonum fidunt hilares: nec fata morantur?
Hæc ego dum volvo, totumq́ue labore fatigo

In-

Ingenium, quæ causa malis lætissima reddat
Omnia? Vel quæ causa bonis tristissima reddat
Omnia, nîl valeo meditans, viresq; labascunt.
Causa latet, penitusq; sinu Deus occulat illam.
Ergò tuos mihi pande sinus: arcana roganti
Pande Deus, causasq; queam novisse latentes,
Nunc novi, Sacrumq; animo nunc æthera cepi.
Vtraq; sors hominum, sortisq; novissima clari,
Arcaniq; mihi radio paluere recessus.
Non aurum, nec ebur, nec tinctas murice vestes
Et multo illusas pretio, gemmisq; venustas
In species sparsis, multiq; aulæa coloris
Materiis variata, domos ornantia regum,
Nec currus, nec equi, nec pinguia jugera fundi
Nescia vicini, nec quidquid littus eoüum
Occiduumq; vehit, nec quod gravis arca flagellat,
Vera putes: sed falsa putes bona nilq; sub isto
Externos splendore boni: sed turpia pulchro
Tecta latent dum stare datur, vultumq; superbum
Ostendi rutilant: cunctosq; in fulgida fixo
Obtutu vertunt oculos: hâc fallit inanes
Fraude animos? miserosq; Deus, ceu somnia gratâ;
Fallaciq; morâ totam ludentia noctem
Et nato moritura die. Quos vexit in altum
Præcipites graviore dabit per lubrica casu.
At quonam cecidere modo? Subitâque ruinâ
Quid tantus collapsus honos? molesq; nocentis
Imperij? Vindex ut læsi numinis ira
Horrore intonuit, trifidis & fulminis alis

Noxa

Noxa furit, liquefacta ruunt fœlicia falso
Nomine, quæ placuere malis. Perit inclyta gentis
Gloria damnatæ: risus & perditâ totâ
Vrbe ciens populo, nulla cognoscitur umbra.
Cùm tanta me causa rei, mentisq; latebat
Hæc tam fausta suis servari crimina pœnis,
Corporeosq; intra sensus mens nescia fati
Erraret; sensi sævis præcordia vinclis
Angorum constricta, oculisq; erumpere mæstum
Flumen, & indignis incessi questibus astra.
Post lacrymas, questusq; hæsi, mox frigidus artus
Subductoq; animum stupescit robore torpor.
Vtque pecus brutum puri nihil ætheris hausi.
Nam quis ego? Mortalis homo. Penetralia cæli
Quî reseram? Tua me sed dextera fulcit
Magna Deus, Sanctoq; tuo discrimina ductu
Evasi: lætoq; beat me gloria curru.
Quid cælum? Quid terra mihi? sine Numine sordent
Ista tuo, solusq; meis amplexibus hæres.
Teq; unum suspiro Deum. Teq; ardeo totus
Solusq; in votis, Animusq; cupidine tabet
Vsque tui: sevisq; moris exaruit agrum
Corpus. At hæc animas rursum quassata vigore
Membra novo. Tu spes, robur, mea portio vitæ
Æternæ Deus es. Te qui simulacra Deorum
Post habito coluere Deo, cæloq; relicto
Infœlix sectantur iter per devia clino
In cladem facili, magno manet exitus illo
Exitio, pereuntq; tuis ultricibus iris.

Stat

Stat Dominum per cuncta sequi. Nos dividet unquam
Nulla dies : fidamq; Deo : verumq; laborem
Haud super ipse mea moliri laude recuso.
Et tua tergeminis subvectus honoribus ore
Admiranda canam. Nomen volvetur in orbem
Annorum sine fine tuum:laudesq; manebunt.

Finierat Psalles : ſed Barbitos fervido. Irritata, pulſu,&Dei laudibus aſſueta, viſa mihi ſuaptè motu in hunc ſonum deſiiſſe; ô Deum Optimum ! ô Deum Maximum!

CAPUT IV.

Bonam Mentem non ita rigori , & ſeveritate Diſciplinæ mancipari , ut Fortunæ bonis,& naturæ largitionibus jucundè & hilariter non utatur.

NIhil tam ſapienter dictum , quod non mordeat malignus. Viden ut ringit ? Ut criſpo ridet naſo ? Quis , inquiens , iſte Philoſophus ? Humanæ vitæ nimis gravis eſt: triteſque ex gypſo clyanteo format Catones. Cruces audio bonæ Mentis , non adjumenta. Sit Mens rerum divinarum imbuendâ veritate. Fiat Deo in-

inhabitante bona: attamen, dum aurâ vitali vescimur, à beatiore vitâ non est divellenda. Porrò vitam quæ faciunt beatiorem, cecinit jucundissimus Martialis. An his denegatis Viro bono tantùm relinquit tortores? Infernum laudet. Quin potior sedeat illa sententia: *Persius Satyr. 3.*

—— Quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse quod Arcesilas, ærumnosique solones.
Obstipo capite, & figentes lumine terram
Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello
Ægroti veteris meditantes somnia.

Ineptè. Non istis Poëtæ bonis Mens efficitur bona: sed plerisque, si adsint, utitur: sin absint lubens caret: scitque in Deo summum Bonum possideri, non labore partum sed donatum gratiâ: illoque dives, & quietâ prudente simplicitate inter homines humanius versata summum diem ad beatiora optat magis, quàm metuit. Cætera quid proderunt extrà Deum abjecto? Quæ bonam faciunt Mentem tractat Philosophus: quo non spectant fortunæ munera: divitiæ, potestas, honor, generis nobilitas, corporis pulchritudo, salubritas, & ex istis orta voluptas, & lœtitiæ, quia facilem commutationem habent

bent in contraria, sintque magis illecebrosa peccati, quàm fructuosa virtutis, beatos non faciunt, nisi incidant in sapientem, qui non semper paupertate, aut vililare damnandus quo magis sit beatus. Quod & peripatetici sentiebant, relinquentes Cynicis suam sorditudinem: & rigidum suum Stoicis honestum, quibus erant.

Lucan. ---- *Epulæ vicisse famem, magnique Penates,*
Submovisse hyemem tecto, pratiosaq; vestis
Hirtam membra super, romano more quiritis.
Induxisse togam.

Habent quidem pecuminæ copiæ multa delictorum lenocinia: sedet in iis non rara incentiva virtutum. Qui divitias in communem usum datas extrà usum abdit, defessisque terræ thesauris incumbit tota ætate solicitis custodiæ miserabilis excubiis anxius: aut prodigo rerum profluvio in vitia dissolvitur, utrobique peccat. Malus usus in crimine est non sensus. Admittit sapiens opes in domum non in animum bono jure adventitias, nec ullo scelere cruentos. Non serviet illis avarus. Imperabit liberalis.

Hoc volo, Mentem verâ Dei notitiâ & dilectione bonam fieri: nec adversis quati, lædine nec secundis extrà decorum

usum insolescere. Quisquis tali prædi-tus est bono ; non repugno , si procul negotiis paterna rura bobus exerceat suis , carpatque fructus , quos curvi arborum rami , & valentes agrorum fœcunditates sponte suâ tulerunt , vastisque cererem patentem frugem granariis possideat : & locuplete penu spumet Bacchus , multaque putet fidelia : nec videat.

——— *Ferrea jura*
Insanumq; forum.

Sit indicundissimus in utendis naturæ rationibus,adsit modus,& in ipso usu erit sapientia : Mens , si æqualiter in eadem intentione retineatur , labascit. Mutatio rerum,rerum alimenti loco est,sive id fiat in ambulationibus apertis, Cæloque libero in augmentum spiritus hausto : sive covinctu & liberaliori potatione , ut non te mergat , sed curas. Nam & Catonis virtus fertur incaluisse vino , quo animum publicis fatigatum laxaret , & melior,acriorque post remissionem resurgeret. Fertilem agrum nunquam intermissa fœcunditas , exhaurit : intermissa fœcundat magis. Sino etiam ab aratro Viros virtute ad secures vocari , regiâque decorari purpurâ : gemmâ bibere : sarranoque dormire ostro solutos curis. Vera virtus in his non

variat, sibique semper similis voluptate contempta, accipenserem non anteponit Mænæ. Non Zenones, non Clyantos, non Catones commendavi, dum Deo Optimo Maximo, virum inoculo ut divino alimento innutritus fiat bonus. Abeant illi qui virtutis, mentisvè bonæ scaturiginem attigere nunquam; eamque intra se præsumentes, stultissimâ pereunt opinione.

CAPUT ULTIMUM.

Bonæ Menti morituri gravissimis insultibus impeti.

DUm in hoc variegato mortalium cætu res, & ætas patiuntur, conspicuum feci, per quæ noster Philosophus ad beatitatem, & in gloriam Dei vires exerceat, mentemque acuat. At illi jam rerum humanarum metam lassis ævi rotis pulsanti gravior ingruit hostis in animam; non in fortunas. Hostis ille jam indè ab orbe condito igneus humani generis odio totum acheronta movet, quo locus, undè superbia cecidit, hominum humilitati præcludat sit invius. Quibus non

non technis id molitur? A Dei Justitiâ, & hominum indignitate captâ perturbationis ansâ, ſtat ad morituri thorum Sophiſta. Et majorem ratione ſuâ vim incuſſurus vult videri legiſſe Ariſtotelem, atque ita infit; omnium terribilium maximè terribilem eſſe mortem: à dulci ad mortem vita diſceſſum labi in ferreum ſomnum, & æternam noctem: morte finiri quidquid lætum & dulce unquam fuit. Ultrà nihil niſi ſupplicium malis: Tu te bonum ſiſtis tam rigoroſo judicis examini? Noſce Deum, & te. Quis es? In matre peccator eras. Naſcebaris in mortem, & dignus fulmine. Qualis ætate provectior? Te legirupam negabis? Et quia vel in uno, & te ſocifravidum, impudicum, ſceleſtum, paricidam, buſtiraſeum, ſacrilegum, perjurium, & omnium, quæ vetuntur lege, reum accuſo. Deus juſtiſſimus: & omnium ſcelerum capitalis hoſtis & vindex. Ni ſit, non eſt Deus. Si ſit, quo tuam advocato cauſam defendes? Ad Dei miſericordiam fugis? Deciperis. Miſericors quidem eſt: at ni eum ſummè juſtum profitearis, injurius es. A perfecta Dei & proximi dilectione perfecta legis præſtatio. Ego accuſator iſtam juſtitiam in te requiro. Non habes? Peto jus dici.

 Non-

Nondum ſentis ſecurim iræ & maledictionis in cervicem animæ tuæ ſtringi? Damnatus es, meus es. Quid moraris anima? Exi & itineri ad Tartara accingamur. Morâ pœnam auges. Age Philoſophum, & poſtremum fare; quando potentiſſimo Deo viſum eſt, ut naſcerer damnandus, obſequar crudeli fato. Oſtendat ille Terris in miſeræ creaturæ ſupplicio juſtitiam ſuam. Sic ſic juvat ire ſub umbras. Quo reſpicis? Ad mortem Chriſti? Non omnibus prodeſt, illa vix ex millibus mihi unum eripuit. Repete memoriâ anteactæ vitæ miſerias, quæ non diem dies majori ſecuta eſt malo? Sed ſe divini furoris in te emicantis ſigna non vides, cæcus es, & vitiis tuis indormis. Quid hæres? Eamus; meus es.

Iſtos Vir bonæ Mentis in mortis confinio ridet inſultus, affaturque hoſtem intrepidus; nimis ridiculè cum tuo Ariſtotele ineptis. Verius & magis Chriſtianè docet ſapientior Plato, veram vitam eſſe, quæ ſecundùm Mentem eſt. Hanc ſeparatione animi à corpore, & ſenſibus, & verâ cum Deo conjunctione præſtari: etiam dum vivimus. Ab hoc mortis initio vitam incipere, perfici demùm corporeis animo ſoluto compagibus: tunc plenius

nius frui summo Bono. Trepidet Aristoteles ad mortis horrorem. Ego cum Platone, quo magis moriar, ad nomen mortis magis exhilarescã. At frustrà sagittis ex ethnica pharetra depromptis Christianum petis. Vis suadere, exhalatâ animâ nihil hominis superesse? Non persuadebis. Audio beatos mortuos qui inDomino moriuntur. Et ista S. Pauli; *Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Sive vivimus Domino vivimus: sive morimur Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus: Christus enim mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Vis Christi promissis diffidam? Veritas promisit. Veritas non fallit. Vis de me desperem? Edoctus sum à filio Deo misericordiam Patris Dei. Clemens & miserator Dominus tardus ad iram & multum misericors bonus Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Quod tu de Dei justitia, & mei indignitate secretum gannis in aurem non inficior. Scio Deum justissimum, & sontium ultorem severissimum: me indignum qui cæli, Terræque aspectu rerum usurâ fruar. Absit ut de me elatè, & amplè loquar, cùm sciam esse, cur de me demisissimè sentiam. Idionè dices? Vi-

Psal. 144. apud Hab. 145.

dete illum tristem, & demissum. Jacet, desperat. Larga tibi semper fandi Copia cunctos divinæ Majestatis postulando: sed licèt tristis sim, non tamen jaceo: licèt demissus, non tamen despero. Dum tristis sum, doleo peccatum. Dum demissus veniam spero. Suaviter quidem ista, inquies, at nimis præsidenter. Sic decet. Vin me vadari? Vin mecum summo jure experiri? Vadimonium promitto, nec deseram. Adsum. Sedeat Deus pro Tribunali justissimus, & severissimus: Habeo quare protinus absolvar sim licèt sceleratissimus. Siles? Missum facis vadimonium? Nolo. Et quia tu non potes inscribi, quippè cujus pœna omni major augmento: Satis tamen erit te fætore orbilum & injustam accusationem testari. Dicam ego apud magnum illum Judicem. Vides Judex maxime, accusatorem vides accusatum, accusator mendacij parens est, & humanæ fœlicitatis hostis. Accusatus homo est; Christianus est, in Christo stat, eoque propugnante nescit vinci satis hoc, ut judices. Verum enim verò te, Deus justissime interrogabo, licitane sit unius ejusdemque debiti iterata exactio? Hoc tua non fert justitia. Alteri pro altero rectè solvit. Christus Deus & homo infinitæ

tuæ

136

tuæ Majestati infinitâ suâ satisfecit obedientiâ, Chirographum, quod nobis primi parentes infœliciter excusserant deletum & expunctum sanguine, Cruci in Trophæum affligendo alterum gratiæ nobis dando. Indè confidentius hic sto, exutaque rei persona creditoris induo. Damnabis me? Debitor creditorem? Cede potiùs Tribunali, & solve, quod debes. Nihil restat quod à me exposcas, Christus me redemit de maledictione legis, factus pro me maledictio, ut benedictionem Abrahæ in Christo Jesu, & promissionem Spiritus acciperem per fidem. Duo tibi in Christo demonstro, quæ voluit ipse esse, quo sit perfectus Salvator; Agnum immaculatum, plenum gratiæ beneficæ: & meâ personâ susceptâ peccatum: non in se, sed in me, ut mei peccati pœnâ depensâ, audiat toto terrarum orbe triumphalem hanc acclamationem; Ecce Agnus Dei: qui tollit peccata mundi. Indè est, quod coràm te justus sim. Quonam id modò? Sicut Christus fuit peccator, qui non fecerat peccatum; sic ego sum justus qui fecerat peccatum: ille meo delicto, non ullo suo peccator; ego illius non ullâ meâ justitiâ justus: gratiæ beneficæ indignitatem meam hostis objecit, eam fa-

Ad Coloss. 2. 14.

Ad Galat. 3. 13.

tentis doles. An non tui Joannis, imò an non tua agnoſcis verba? *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut amittit peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si quis peccavit, advocatum habet apud te Ieſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Ille perfectiſſimè te & homines non minùs hoſtes quàm amicos, tranſlatâ in ſe irâ Dei dilexit: atque ita utriuſque tabulæ legibus abundanter impletis: ſolus juſtus, ſolus Sanctus. Ad dextram tuam ſedet. Hâc ejus juſtitiâ eniteo, & tibi acceptus uti Chriſti frater, & cohæres ſim, neceſſe eſt. Quidquid autem hæreditariæ labis in me reſidet, in rationem non venit: Nulla enim condemnatio eſt illis, qui ſunt in Filio tuo, & quos in eo lex Spiritus vitæ liberavit à lege peccati, & mortis. Quid verò contra me habet argumenti mearum miſeriarum atrocitas? Has pro teſtimonio clementiſſimi Patris caſtigamentis, & non judicis damnantis filius pertuli. Filium quem diligis, caſtigas. Dixi. Obmuteſcit accuſator. Abeat in orcum: ego ad Beatorum ſedem merito, non meo, ſed Chriſti.

Ioan. Epiſt. cap. 1. & 2.

Ad Rom. 8. 1.

FINIS.

IN-

137

ELENCHUS CAPITUM PHILOSOPHI BONÆ MENTIS.

CAPUT PRIMUM. A Vera Dei notitia Bonam Mentem esse. Fol. 1.

CAP. II. Deum ex suis operibus nosci: & in illis Optimum Maximum. Fol. 11.

CAP. III. In Christo veram conspici Dei notitiam & certam inveniri vitam, ac salutem. Fol. 21.

CAP. IV. Veram Dei notitiam expleri dilectione, eamq; veram, & unicam esse Virtutem. Fol. 28.

CAP. V. Considerandam esse in Christo omnium Virtutum Dei maximam Misericordiam: nec eam satis cognosci, nisi perspecto hominis statu, qui est ante, & post gratiam. Fol. 37.

CAP. VI. Providentia Dei regi omnia, & ab eius meditatione multiplices esse fructus, quibus Bona Mens alitur. Fol. 55.

O CAP. VII.

CAP. VII. *A Divina Electionis ad æternam vitam fiduciâ Bonam Mentem firmari, & undè istam fiduciam homini liceat capere.* Fol. 67.

CAP. VIII. *Vir Bonæ Mentis verâ Dei Notitiâ, & gratiâ instructus, qui se habeat in rebus externis sive iubeat, sive pareat.* Fol. 91.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. *Viri Bonæ Mentis quamlibet actionem calumniis morderi.* Fol. 97.

CAP. II. *Quemadmodum Vir Bonæ Mentis Theologus, Iuris-Consultus, Poëta, Miles calumniis exerceatur, & fatigetur, latior demonstratio.* Fol. 102.

CAP. III. *Numquam perniciosiorem calumniam esse, quam dum per Vestam Virum bonum, uti flagitiosum, aut Deorum, & Sacrorum irrisorem, deferri curat.* Fol. 114.

CAP. IV. *Calumniam hoc agere, ut Vir bonus potentiorum contumeliis & atrocioribus iniuriis fiat obnoxius.* Fol. 119.

CAP. V.

CAP. V. *In istis sævitiis, & contumeliis Virum Bonæ Mentis præstare constantem ac lætum.* Fol. 124.

CAP. VI. *In istis miseriis an quisquam dici possit Beatus?* Fol. 128.

CAP. VII. *Vir Bonæ Mentis fœlicior & extrà omne adversorum tormentum positus; quo sit animo ergà bonos infœliciores, & miseros.* Fol. 129.

CAP. VIII. *De malis fœlicibus.* Fol. 136.



LIBER TERTIUS.

CAP. I. DE *vera ratione, quare mala bonis, bona malis in hac vita eveniant.* Fol. 159.

CAP. II. *Obiectio: non decere bonitatem & misericordiam Dei, gloriam suam in hominum miseriis, & afflictionum tormentis ostendere: eam laudabilius ab internis vitiis superatis, & piis officiis in homines spectari. Prosperis parari causam gratitudinis, libertatis, temperantiæ, & aliarum Virtutum.* Fol. 172.

CAP. III. *David hoc Carmen scripsit ad eos consolandos, qui angi solent, cùm vident improbos opibus, & potentia florere, bonos autem egestate, & variis incommodis premi.* Fol. 184.

CAP. IV. *Bonam Mentem non ita rigori, & severitate disciplinæ mancipari, ut Fortunæ bonis, & naturæ largitionibus iucundè & hilariter non utatur.* Fol. 190.

CAP. ULT. *Bonæ Menti morituri gravissimis insultibus impeti.* Fol. 194.

F I N I S.

CENSURA.

Liber cui titulus *Philosophus Bonæ Mentis*, bonæ Mentis naturam non incongruè describit. Nihil in eo reperi Fidei, aut bonis moribus contrarium, propter quod imprimi poterit. Actum 23. Septembris 1674.

J. ROUCOURT, S. T. L.
Eccles. Coll. DD. Mich. & Gudil. Pleb. Lib. Cens.

IN *hoc* Philoſopho Bonæ Mentis, *quem Ampliſſimus, Nobiliſque Dominus* JOANNES A WALHORN, *dictus* DECKHER, *Regius in Supremo Brabantiæ Senatu Conſiliarius, ſingulari eruditione, & eleganti ſtylo formavit: cùm nihil hactenùs invenerim, quod Catholicæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur; ſed ea potiùs contineat documenta, per quæ Lector ad ſectanda Bonæ Mentis veſtigia incitari poſſit, potentiámque ejus & magnalia humili animo agnoſcendo Divinæ ſe voluntati conformare: judicó illum cum non modico fructu Prœlo ſubmitti, & in lucem publicam proferri poſſe. Actum Bruxellis XI. Kalendas May, M. DC. LXII.*

ANTONIUS SANDERUS,
Presbyter, S. Theol. Licent.
Librorum Cenſor, *&c.*

SUM-

SUMMA PRIVILEGIJ.

CAROLUS II. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentissimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate suo sanxit, nè quis *Philosophum Bonæ Mentis Nobilissimi & Amplissimi Domini* JOANNIS A WALHORN', *dicti* DECKHER, *in Supremo Brabantiæ Concilio Senatoris Regij*, præter *Martini de Bossuyt*, Urbis Bruxellensis Typographi, voluntatem ullo modo intrà Novennium imprimat, aut alibi terrarum impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione Librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 25. Septemb. 1674.

Signat,

A. DE STEENWINCKEL.



Errata sic corrigenda.

FOl. 1. cujus l. cuivis. fol. 13. globus l. globis. fol. 24. declamatur l. delaniatur. fol. 38 desiderabat l. desiërat, *bis*. fol. 43. minor l. major. *ibid.* aut l. ait. fol. 44. vitio l. vitæ. fol. 52. post suaptè natura, adde, ex peccato saucia. fol. 70. nolentis l. valentis. fol. 121. ut l. uti. fol. 160. habeat l. hebetat. fol. 177. captivam l. rapinam. fol. 178. nolli l. molli. fol. 180. delet l. dolet. fol. 185. dextra l. dextera. fol. 186. mirari l. morari. fol. 187. connexa l. connexu. fol. 199. fecerat l. feceram.



FINE